EMENDATIONES LYSIACAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

MARBURGENSIUM

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

OBTULIT

CAROLUS HELDMANN

NIEDERASPHENSIS

GYMNASII CASSELLANI PRAECEPTOR.

MARBURGI — CATTORUM

MDCCCLXXV.

Quicunque studia sua in Lysiam converterunt, huius oratoris verba non pauca corruptelarum sordibus valde depravata esse haud dubie intellexerunt et Franzio assensi sunt, qui de hac re in adnotationibus criticis, quas editioni Lysiae adiecit, p. 253 hoc iudicium facit: „Neque enim mihi videtur ullus alius scriptor tam egregie esse depravatus quam hic ipse Lysias, sive labe vetustatis sive librariorum neglegentia.“ Quare mirandum non est in eius orationibus non paucos inveniri locos, qui, quamvis doctissimi et sagacissimi viri, inter quos honoris causa Sauppium ac Rauchensteinium vivos, Scheibium ac Kayserum mortuos nomino, in iis et interpretandis et emendandis summa cum diligentia eximiaque cum laude versati sint, non ita nec explicati nec emendati videantur, ut omnia bene recteque procedant neque quidquam dubitationis relictum sit. Atque quoniam ea quidem scripta, quae legentibus nobis magnae delectationi sunt, quo maior et iustior sit delectatio illa, quam ex iis percipimus, vitiis liberare quam maxime cupimus, mihi quoque faciendum putavi, ut, quantum possem, nonnullos Lysiae locos, qui corrupti videntur, quamvis saepe et diligenter iam ab aliis tractati sint, non modo de integro examinarem, verum etiam si ea, quae a viris doctis in medium prolata erant, mihi non satis probanda videbantur, aut alio modo interpretarer aut alia eaque nova coniectura usus emendarem. Atque in arte critica factitanda cum eam, quam viri docti inire solent, rationem secutus, ut unum alterumve verbum mutarem, tum ita corruptelas quorundam locorum tollere conatus sum, ut verba sine dubio corrupta, quorum labem viri docti plerumque his ipsis verbis deletis resecare studuerunt, una vel duabus lineis ante aut post eum ponerem locum, ubi in codicibus manu scriptis leguntur.

De hac autem emendandi ratione iam pauca mihi dicenda sunt. Satis constat plurima vitia calami ita orta esse et etiamnunc oriri, ut oculus librarii, qui opus aliquod transscribit, etiamsi ipse eius auctor est, iusto saepius aberret manusque eius in scribendo peccet. Ita fieri solet, ut ille non modo idem verbum repetat atque bis ponat aut similitudine litterarum deceptus unum alterumve verbum omittat, sed etiam verba aut quae posteriore loco legebantur, in superiorem transponat, aut quae priore legebantur, in posteriorem transferat. Quod cum factum est, librarius quae omisit verba, inter lineas aut in margine adscribere cogitur, qua re facillime insequens libra-

rius, praesertim si litterarum non satis peritus sit, inducitur, ut verba vel sententias ita adiectas eo, qui ipsi ideoneus videtur, loco ponat et cum iis, quae praecedunt, particula aliqua, inprimis *καὶ* coniungere soleat. Cuius erroris causae quae sint, cum inquisieris, duas cogitando invenies has: aut ingenio tuo ea, quae scripturus es, celerius concipis, quam ut manus tua ea, quae cogitasti, litteris mandare possit, aut ingenium tuum acri studio atque assiduo labore quasi defatigatum ac lassum est, ut iam vix possit manum tuam sequi. Illa autem, quae significavi, calami vitia augeri concedes, cum librarius non eruditus librum aliquem transscribit ita, ut ne dicam linguam, qua compositus est, sed sententias non satis intellegat neque quidquam nisi litterarum ductus ex uno in alterum librum temere et cum socordia transponat. Hoc modo mihi videor causam probasse, qua inductus non vereor nonnullos Lysiae locos aperte corruptos sola verborum transmutatione sanare.

Sed priusquam ad hos locos ipsos tractandos transeo, haud alienum ab instituto meo existimo admonere et demonstrare iam alios criticos in quibusdam locis restituendis eandem ingressos esse viam et recta invenisse.

Ita minime dubitandum est, quin particula *δὲ* et VII. 4 et XXII. 4 suo loco non sit posita. Nam VII. 4, ubi omnes codices *δημευθέντων τῶν ὄντων δ' ἐκείνου* praebent, particula *δὲ* non modo quartum obtinet ordinem, id quod nusquam apud Lysiam invenies nisi ita, ut in numero eorum, quae praecedunt, verborum praepositionem reperias (cfr. I. 42 *ὡς μετὰ πλείστων δὲ,* XIII. 85 *μὴ ἐπ' αὐτοφώρῳ δὲ,* XVI. 10 *πρὸς τὸν ἀδελφὸν δὲ*), sed etiam ea verborum collocatione, quae codicibus tradita est, non iusta fit oppositio. Apparet verbis *ἦν μὲν* et *δημευθέντων δὲ* opponi diversa tempora, quibus agri illius Pisander, deinde respublica, postea Apollodorus possessor fuit. Quare recte mihi videntur Reiskius et Bekkerus *δὲ* post *δημευθέντων* posuisse nullo alio verbo mutato. Neque enim *ὄντων* delere, quod, quo verba magis solitae dicendi rationi conveniant, Sauppius, Cobetus, Rauchensteinius voluerunt, necessarium esse existimo, cum apud Demosthenem quoque XXIII. 45 legatur *δεδήμευται τὰ ὄντα,* neque aliam video rationem, qua nisi similitudine litterarum *δημευθ έ ν τ ω ν* et *ὄ ν τ ω ν* librarius ad hanc falsam particulae *δὲ* collocationem inductus sit. Ex iis autem, quae dixi, elucet, quae causae sint, cur offendam et in Scheibii coniectura: *τῶν ὄντων δ' ἐκείνου δημευθέντων* et in Meutzneri *δημευθέντων δ' ἐκείνου τῶν ὄντων.* cf. Meutzneri comment. de Lysiae oratione *περὶ τοῦ σηκοῦ.* Lipsiae 1860 et quae Rauchensteinius affert in Fleckeisenii nov. annall. philoll. 81 p. 744. —

Quin autem Dobraeo et Emperio auctoribus omnes Lysiae editores recentiores praeter Cobetum, contra quem disputavit Sauppius in Philologi XXV. p. 263, or. XXII. §. 4 *δὲ*, quod in codicibus post *δεδιὼς* legitur, post *αἰσχρὸν* recte posuerint, vix in dubitationem revocari potest. Neque minus recte uno vel duobus verbis transpositis aut ipsis inter se transmutatis restituit Kayserus XIX. 51 *ἀπολέσθαι οἱ ῥᾳδίως τολμῶντες* pro *ῥᾳδίως ἀπολέσθαι οἱ τολμῶντες,* Hirschigius XIV. 28 *οὐχ ὡς ἀδελφὸν* pro *ὡς οὐκ ἀδελφὸν,* Frohbergerus XIV. 28 *ἢ εἰς τοὺς πολίτας ἢ εἰς τοὺς ξ έ ν ο υ ς ἢ περὶ τοὺς αὑτοῦ ο ἰ κ ε ί ο υ ς,* Bekkerus XIV. 42: *καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους π ο λ ι τ ε υ ό μ ε ν ο ι καὶ πρὸς σφᾶς αὐτοὺς δ ι α κ ε ί μ ε ν ο ι* (cf. Frohberg. ad hunc locum in appendice II. p. 150 sq.),

Sluiterus XII. 57: *ἀδίκως ἔφευγον, ὑμεῖς δικαίως*, Bekkerus codicem Laurentianum secutus, probantibus Turicensibus et Scheibio IX. 14: *διὰ τὴν ἡλικίαν καὶ τὴν ἀνάγκην*, Reiskius III, 12: *οὗτοι δ' ἐκπηδῶσιν ἐφ' ἡμᾶς ἤδη μεθύοντες* pro *ἤδη μεθύοντες· οὗτοι δ' ἐκπηδῶσιν*, quo quidem loco Westermannus Schotto auctore *ἤδη μεθύοντες* similiter post *οὗτοι δ'* transfert.

Aliis locis cum non modo simplicem transmutationem verborum sufficere, sed etiam alia coniectura opus esse viri docti intellexissent, idem Reiskius scripsit XIV. 29: *ἀλλ' ὂν* pro *ὂν μᾶλλον* (cf. Frohberg. ad hunc locum in appendice edit. vol. II. p. 147) et XXIII. 11 verbis *ἐξαιροῖτο* et — quae vero cum Sauppio et Rauchensteinio abesse malumus — *εἰς δουλείαν* adiectis: *τοῦτον ἐξαιροῖτο ἢ [εἰς δουλείαν] ἄγοι φάσκων* pro *τοῦτον ἄγοι ἢ φάσκων*, sicut in codicibus invenitur, Heraldus (cf. animadv. in Salmas. V. 8) infinitivo *εἶναι* deleto X, 19: *οἰκῆος καὶ δούλης τὴν βλάβην ὀφείλειν* pro *οἰκῆος καὶ βλάβης τὴν δούλην εἶναι ὀφείλειν* (vide Frohbergerum ad h. l. in appendice vol. II. p. 164).

Quibusdam autem locis viri docti nonnunquam verba quaedam, quae ut in libris manu scriptis reperiuntur, cum aut supervacaneum additamentum esse aut omni sententia carere viderentur, ab aliis criticis deleta erant, simplici transmutatione et nonnusquam lenissima coniectura adhibita iure servaverunt. Id fecisse vides exempli gratia Taylorum, qui XXV. 22 verba *ἐκ τοῦ ἄστεος*, quae post *στασιάζοντας* vix ferri possunt ideoque a Dobraeo deleta erant, post *ἐκ κεκηρυγμένος* posuit, Frohbergerum, qui XXXII. 20 verbum *ἱμάτια*, quod post *γναφεῖον* positum intellegi non potest ideoque ab omnibus editoribus deletum erat, ita eleganter restituit et servavit: *εἰς ὑποδήματα δὲ καὶ εἰς ἱμάτια καὶ εἰς γναφεῖον καὶ εἰς κουρεῖον*, Rauchensteinium. qui XXXII. 6 verbum *δοῦναι*, quod post *δωματίῳ* in codicibus falso legitur, fortasse recte post *τάλαντον δὲ* transposuit eoque transposito non minus bene quam eo, quem modo diximus, loco Frohbergerus concinnitatem sententiarum restituit.

Nec difficile Franckenio assentieris, qui XXIV. 21 Rauchensteinio probante proposuit legendum: *τί δεῖ περὶ τῶν φαύλων ὁμοίως τούτῳ σπουδάζειν*; Argumentis autem, quibus Rauchensteinius ad hunc locum Franckenii emendationem fulcire studet, nescio an hoc quoque addendum fuerit non modo eam, quam Frohbergerus in lectione tradita inesse vult, sententiam [„Ueber die Dinge, die so erbärmlich sind als dieser"] obscuriorem esse, verum etiam et ad *τούτῳ*, quo facilius intellegeretur, pronomen *αὐτῷ* addendum fuisse et articulum *τῶν* suspiciosum esse.

Atque silentio praeterire nolo me ipsum quoque XIX. 23 in eandem coniecturam atque Westermannum incidisse, qui (cf. eius quaestionum Lysiacc. partic. II. p. 12) proposuit scribendum: *ἀλλ' οὐ πάντα παρασχόντα χαρίσασθαι ἐκείνῳ, εἰ ἦν δυνατὸς κομίσασθαι μὴ ἐλάττω.* Eam coniecturam praeferre velim coniecturis et Rauchensteinii (cf. Fleckeisenii nov. annall. philoll. 91 p. 611) atque Hughii: *ἐκείνῳ ἐφ' ᾧτε* (vel *ὥστε*) *μὴ κομίσασθαι ἐλάττω*, et Frohbergeri *ἐκείνῳ ἐλπίζοντα κομιεῖσθαι μὴ ἐλάττω*, neque intellego, quo iure hic vir doctus in editionis suae tom. III. p. 195. Westermanni coniectura lectioni codicum maiorem vim inferri dixerit, id quod certe quadrat in Kayseri coniecturas (cf. Philoll. XXV. p. 306) *παρ' οὗ γε μὴ ἐλάττω κομίσασθαι ᾤετο* vel *ὅθεν καὶ κομίσασθαι μὴ ἐλάττω ᾤετο.* In Westermanni coniectura autem

id verisimile est particulas *τὲ καὶ*, postquam verba *εἰ ἦν δυνατὸς* in eum locum irrepserunt, ubi nunc in libris manuscriptis leguntur, quodam modo necessarias fuisse et ex praecedente *ἐκείνῳ* ortas esse.

I.

Jam vero ad paucos locos tractandos transituri sumus, in quibus veremur, ne verborum transmutationes ab aliis propositae vix probandae sint. Ac primum quidem ex Kayseri translationibus iure neutra ab editoribus recentioribus in textum, qui vocatur, recepta est, nec XII. 30, ubi vir ille doctus Marklando auctore emendavit: *οὐκ ἐν τῇ οἰκίᾳ κατὰ τὰ τούτοις ἐψηφισμένα, ἀλλ' ἐν τῇ ὁδῷ σώζοντα αὐτὸν συλλαβὼν ἀπήγαγεν* (cf. Scheibii praefat. edit. II. p. XXVII. extr.), nec XXIII. 2, ubi puncto post *δημοτεύοιτο* posito et particula *καὶ* ante *πρὸ τοὺς τῇ Ἱπποθωντίδι* deleta verborum *ἐπειδὴ δὲ ἀπεκρίνατο ὅτι Δεκελειόθεν* transportationem post *δημοτεύοιτο* propositam, quamvis facetam et elegantem, tamen minime necessariam esse Rauchensteinius in appendice ad hunc locum p. 273 mihi quidem persuasit.

At eiusdem Rauchensteinii astipulari non possum emendationi loci illius exagitatissimi

orat. VII. §. 26:

> *Καίτοι οὐ δήπου τὰς μὲν μικρὰς ζημίας οὕτω περὶ πολλοῦ ποιοῦμαι, τοὺς δὲ περὶ τοῦ σώματος κινδύνους οὕτω περὶ οὐδενὸς ἡγοῦμαι καὶ τὰς μὲν πολλὰς ἐλαίας, εἰς ἃς ἐξῆν μᾶλλον ἐξαμαρτάνειν, οὕτω θεραπεύων φαίνομαι, τὴν δὲ μορίαν, ἣν οὐχ οἷόν τ' ἦν λανθάνειν ἐξορύξαντα, ὡς ἀφανίζων κρίνομαι.*

Recte mihi videor statuere ad hunc locum et interpretandum et emendandum quasi fundamentum esse membrorum concinnitatem, „quam hoc loco insigni cum studio sectatus est Lysias.“ cf. Scheibii vindicc. Lysiacc. p. 25. Quam ob rem *οὕτω*, quod ante *περὶ οὐδενὸς* legitur, cum criticis delendum non existimo; quod si fieret, congruentia et aequalitas enuntiati oppositi tolleretur. Ad illud autem *οὕτω* ante *περὶ πολλοῦ* positum ex iis, quae praecedunt, mente addendum est: „ut agrum circa oleas sacras iacentem colere omitterem“, ad hoc ante *περὶ οὐδενὸς* collocatum: „ut sacram oleam ipsam exstirparem“. Atque ut in verbis, quae leguntur usque ad *ἡγοῦμαι*, vix quidquam tale inest, ut offendas in codicum lectione, ita verba, quae sequuntur, ab aliis aliter tentata et emendata sunt.

Ac primum quidem particulam *καὶ* in suspicionem vocatam Rauchensteinius in tertia editione Lysiae in *οὐδὲ* mutavit, in sexta autem editione restituit eodem sensu, quo *οὐδὲ*, cum illud *οὐ* ante *δήπου* positum ad totum enuntiatum pertineat („wobei *οὐ* vor *δήπου* auch auf diesen Satz herunterwirkt.“) Quod ut recte statuerit, vereor. Nam quae de vi negationis ad alterum quoque membrum referenda adnotavit XXX. 30, cum accuratius examinaveris, te non fugiet, ibi tantum talia allata esse exempla, in quibus negatio ad alterum quoque particula *δὲ* oppositum

membrum eiusdem enuntiati referenda est, non ad alterum quoque enuntiatum particula *καὶ* continuatum. Idem intelleges ex iis exemplis, quae attulit Frohbergerus ad XII. 47 (vide inprimis illud exemplum ex Lycurgi §. 65 repetitum), Rehdantzius et Franckius ad Demosth. IX. 27 et 57, Madvigius in syntaxi graeca §. 189. Itaque si cum Rauchensteinio negationem ad verba quoque *καὶ τὰς μὲν πολλὰς ἐλαίας* cet. referendam censes, *καὶ* in *οὐδὲ* mutandum est, non in *καὶ οὐ* quod Funckhaenelius in Fleckeisenii nov. annall. philoll. 109 p. 808 proposuit, propter *καίτοι οὐ* initio paragraphi positum.

Verba, quae sequuntur, *ὡς ἀφανίζων νυνὶ κρίνομαι*, cum corruptelam contraxisse viderentur, transmutatione particulae *ὡς* lenique coniectura Rauchensteinius emendanda existimavit in *ἀφανίζω* (*ἠφάνιζον* Hamackerus), *ὡς νυνὶ κρίνομαι.* At hac coniectura congruentia sententiarum vehementer violatur. Profecto languida esset, opinor, immo supervacanea accessio *ὡς νυνὶ κρίνομαι.* cf. Scheibii vindicc. Lysiacc. p. 25. Quae cum Rauchensteinium ut hominem sagacissimum non fugerint, in appendice edit. sextae p. 272, postquam Meutznerii coniecturam *ὥστε* (pro *καὶ*) iure reprobavit, suam ipsius iam in editione tertia prolatam et a Kaysero probatam coniecturam: *εἰκότως* vel *δικαίως ὡς ἀφανίζων νυνὶ κρίνομαι* his verbis commendat: „Und in der That hat dieses den Vorzug, da sich *φαίνομαι* und *κρίνομαι* und ebenso die beiden Participien genau entsprechen.“ Id recte quidem. At etiamsi de negatione non quaeris, cum *οὕτω θεραπεύων* et *ὡς ἀφανίζων* sibi respondeant, cui verbo respondet *εἰκότως* vel *δικαίως*?

Quid plura? Nisi fallor, nullum verbum lectionis traditae nisi forte *καὶ* in *καίτοι*, quod ipsum quidem nescio an necessarium sit, mutandum est et signum non tam interrogationis post *κρίνεται* quam puncti ac post *ἡγοῦμαι* gravioris interpunctionis ponendum. Enuntiato *καίτοι τὰς μὲν πολλὰς* cet., quod ab *οὐ δήπου* non pendet, affirmative et id quod agricola reus fecit et id quod nunc ei crimini datur, satis dilucide cum summa utriusque membri concinnitate sibi opponuntur, postquam, ad quam normam vitam suam instituisset, orator utroque membro prioris enuntiati non minus apte exposuit. Itaque verbis *τὰς μὲν πολλὰς ἐλαίας οὕτω* (i. e. ut feci) *θεραπεύων φαίνομαι* apertum factum („der offenbare Thatbestand“, Funckhaenelius l. l.) agricola reus comparat cum inani criminatione („der blossen Beschuldigung“, Funckhaenelius) *τὴν δὲ μορίαν ὡς ἀφανίζων κρίνομαι* et cum acerba quadam irrisione, non cum vera indignitate, verum et falsum inter se conferendo, fatuitatem accusatoris demonstrat. Quare hunc locum difficilem ita patrio sermone interpretor: Und doch wenn ich kleine Einbussen (Nachtheile) so hoch (sc. wie ich es gethan habe) anschlage, so achte ich doch wohl Gefahren, bei denen es sich um meine Existenz handelt, nicht so gering (sc. wie mein Ankläger mir Schuld gibt); und doch, während ich die Menge von Oelbäumen, gegen die ich eher hätte freveln können, offenbar so (sc. wie ich es gethan habe) pflege, werde ich jetzt angeklagt, als ob ich (sc. wie mein Ankläger mir Schuld gibt) den Stumpf, den ich unbemerkt nicht ausroden konnte, beseitigte. Ita bene fluit oratio et sine dubio melius, quam si Scheibii interpretationem (cf. eiusdem vindicc. Lysiacc. p. 25 sq.) sequeris, qui et ipse *οὐ* ad totum enuntiatum referens vertit: „Ich werde mich doch nicht als ein solcher, der den Oelbaum ausgerodet hätte, jetzt anklagen lassen?“ id quod de agricola, qui jam accusatus est, non magis dici potest

quam illud „neque accusor“, quod Funckhaenelii coniectura *καὶ οὐ — ὡς ἀφανίζων κρίνομαι* significatur.

Nec minus cum eodem Rauchensteinio dissentimus altero loco

orat. XVI. §. 3,

ubi in libris manu scriptis ita legitur:

> *πρῶτον δὲ ἀποδείξω, ὡς οὐχ ἵππευον οὔτ' ἐπεδήμουν ἐπὶ τῶν τριάκοντα οὐδὲ μετέσχον τῆς τότε πολιτείας.*

Etiamsi Bekkerus, Westermannus, Scheibius aliique verba *οὔτ' ἐπεδήμουν* conati sunt tueri, tamen ea argumenta vix reprobari possunt, quibus Rauchensteinius (cf. Philoll. XIII. p. 216) et Frohbergerus (cf. eius disputatio in appendice tom. III. p. 151) praeter insolitum usum particulae *οὔτε,* qui apud Lysiam exemplo caret, in illis verbis alteram corruptelam latere demonstraverunt. Quare Rauchensteinius, particula *οὔτ'* deleta, *ἐπεδήμουν* in §. 4 prius post *πολιτείας,* nunc autem Sauppio auctore (cf. Philoll. XXV p. 147) post *καθαιρουμένων* „speciose“ collocavit. Cui coniecturae, quamquam bonam egregiamque efficit sententiam et duritiam quandam tollit, quae, si verbum deest, in enuntiato negativo: *καὶ οὔτε τῶν τειχῶν καθαιρουμένων οὔτε μεθισταμένης τῆς πολιτείας* cognoscitur, tamen id maxime repugnat, quod hoc modo singularis numerus *ἐπεδήμουν* inter pluralem *ἡμᾶς γὰρ ὁ πατὴρ* modo praecedentem et pluralem *ἤλθομεν* §. 4 et *ἡμᾶς* §. 5 statim sequentem inclusus multo maiorem haberet duritiam, quam quae ferri posset. Neque haec orationis duritia atque asperitas removetur iis, quae Frohbergerus adnotat tom. III. p. 158: „(der Singular) ausreichend, da nur für die Person des Mantitheos dieser Umstand von Bedeutung ist.“ Hoc si verum esset, Lysiae, quo duritia illa leniretur, eodem iure *ἦλθον* pro *ἤλθομεν* scribendum erat. Quare vehementer offendunt numeri tam celeriter permutati non modo in iis, quae subsequuntur, enuntiatis, verum etiam in eodem ipso enuntiato. Quae cum ita sint, Herwerdenius Marklando et Dobraeo auctoribus pluralem *ἐπεδημοῦμεν,* qui mea quidem sententia necessarius est, restituit et illi coniecturae suam coniecturam adiecit, quibus adde, quae Kayserus disputavit in Philoll. XXV. p. 314. At non concedendum iudico opus esse verbo *ἐπεδημοῦμεν* in §. 4 nec post *καθαιρουμένων* nec post *πολιτείας,* sed unum verbum *ἤλθομεν* sufficere censeo. Ac ne offendas in insolita collocatione verbi *ἤλθομεν,* quod si in fine enuntiati positum esset, nihil dubitationis efficeret, memento verbum *ἤλθομεν* hoc gravissimo loco alii eique graviori verbo cessisse et ea ipsa collocatione oratorem significare non commorationem domesticam et reditum, sed diversa tempora sibi opponi, quibus Mantitheus, si quidem voluisset partes triginta virorum sequi, redisset, ita ut iis verbis, quae sicut posita sunt, cum vi quadam premuntur, verbum *ἤλθομεν* includatur. Dicit enim orator Mantitheum non iis temporibus, quibus utile esset rebus triginta virorum studere i. e. quibus muri Athenarum diruerentur et respublica everteretur, sed iis demum temporibus redisse, quibus illud periculosum videretur i. e. quinque diebus antequam Thrasybulus et qui cum eo erant, in Piraeeum venirent.

At quid de *οὔτ' ἐπεδήμουν*? Scribendum censeo: *ὅτ' ἐπεδήμουν*, quod *ὅτ'* a librariis propter negationem et praecedentem et sequentem facillime in *οὔτ'* mutari poterat. Sententia autem haec est: Ac primum quidem probato me, dum sub triginta viris domi versabar, equitis munus non fecisse nec illorum dominationis participem fuisse. Ita fit, ut *γὰρ* particula §. 4 non minime ad illud *ὅτ' ἐπεδήμουν* referatur.

II.

Quoniam de aliorum coniecturis egi, iam ipse seriem coniecturarum, quae in transpositione unius vel complurium verborum nituntur, in medium proferre volo.

Orat. I. §. 15.

ἣν ἐκεῖνος ἐμοίχευεν, ὡς ἐγὼ ὕστερον ἤκουον, αὕτη δὲ ὀργιζομένη καὶ ἀδικεῖσθαι νομίζουσα, ὅτι οὐκέτι ὁμοίως ἐφοίτα παρ' αὐτὴν, ἐφύλαττεν, ἕως ἐξεῦρεν, ὅ τι εἴη τὸ αἴτιον.

Verbum *ὁμοίως* si suo loco positum est, certe aliter explicari non potest quam „iam non eodem modo quo ante i. e. minus saepe quam ante“ (cf. Frohbergerum ad hunc locum), quam sententiam in hoc enuntiato inesse vix crediderim. Nam ex verbis *ἡμῖν ἐχθρὸς ὢν* §. 16 emergere videtur Eratosthenem illius mulieris, quacum antea adulteria exercebat, domum omnino iam non frequentare, id quod illa graviter tulit (*αὕτη δὲ ὀργιζομένη καὶ ἀδικεῖσθαι νομίζουσα*). Quare mihi videtur *ὁμοίως* transponendum et scribendum esse: *ἣν ἐκεῖνος ὁμοίως ἐμοίχευεν*, ita ut haec evadat sententia: Convenit me anus quaedam clam missa a muliercula, quacum ille similiter (sc. ac cum mea uxore) adulteria committebat.

Orat. I. §. 20.

Κατηγόρει πρῶτον μὲν ὡς μετὰ τὴν ἐκφορὰν αὐτῇ προσίοι, ἔπειτα ὡς αὐτὴ τελευτῶσα εἰσαγγείλειε καὶ ὡς ἐκείνη τῷ χρόνῳ προσθείη καὶ τὰς εἰσόδους οἷς τρόποις προσίοι.

Viri docti, cum menda quaedam in huius paragraphi verbis inesse viderentur, varia vocabula coniecturis suis vexaverunt. Atque recte quidem Dobraeus *αὐτῇ προσίοι* pro *αὐτῇ προσίοι* scripsit, qua facillima mutatione ambiguitas, utram mulierem adierit Eratosthenes, uxorem rei an servam, simplicissime tollitur. At dubito, an Frohbergeri coniectura *αὐτῇ εἰσαγγείλειε* pro *αὐτὴ εἰσαγγείλειε*, quamvis lenissima, non necessaria sit, cum illud *αὐτὴ* satis bonam efficiat sententiam. Confitetur enim ancilla sese ipsam postremo inductam esse, ut ea, quae Eratosthenes sibi mandavisset, nuntiaret ipsa sc. dominae suae.

Quae autem sequuntur et in codicibus sic scripta leguntur: *καὶ ὡς ἐκείνη τῷ χρόνῳ προσθείη καὶ τὰς εἰσόδους οἷς τρόποις προσίοι*, non emendata omni sensu carent. Ac primum quidem viri docti in *προσθείη* offenderunt, quod Reiskio auctore in *πεισθείη* mutari voluerunt, nec minus in verbis *τὰς εἰσόδους οἷς τρόποις προσίοι*; quae si cum Scheibio, Cobeto, Westermanno servantur,

ita interpretanda sunt, ut *τὰς εἰςόδους* ad *κατηγόρει* pertineat et verba *οἷς τρόποις προςίοι* ad explicandum *τὰς εἰςόδους* addita esse putemus. Quam interpretationem, etiamsi *προςίοι* significare idem atque *εἰςίοι* statuamus, duram et nimis artificosam esse atque simplicitati orationis Lysiacae vix tribuendam esse cum viri docti intellexissent, pro *προςίοι* alii aliter conicere conati sunt: Reiskius *ποιοίη*, Cobetus *ποιοῖτο*, Dobraeus *ποιήσαιτο* vel *προςεῖτο*, Scheibius *πορίσαιτο*, Kayserus *προςίοιτο* (cf. Philoll. XXV. p. 313), quam coniecturam Kayserianam, ut lenissimam et optimam, Frohbergerus in textum, qui vocatur, recepit. Et recte quidem, si Reiskii emendatio *πεισθείη* pro *προςθείη* probatur.

At nescio an menda loci facilius tollantur, si verbo *προσθείη* non mutato non minus leni coniectura *ἐκείνῃ* pro *ἐκείνη* scribitur et *καὶ* post *τὰς εἰςόδους* ponitur. Qua coniectura haec efficitur sententia: Ancilla eum accusans confessa est sese ipsam postremo, quae Eratosthenes voluisset, nuntiasse herae eidemque (*ἐκείνῃ*) tempore procedente aditus Eratosthenis commendasse vel composuisse („vermittelt habe“) et quomodo ille ea uteretur i. e. cum ea stupra faceret. *προςιέναι* autem in eadem notione stupri exercendi usurpatum invenies Xen. conviv. IV, 38: *ἢν δέ ποτε καὶ ἀφροδισιάσαι τὸ σῶμά μου δεηθῇ, οὕτω μοι τὸ παρὸν ἀρκεῖ, ὥστε αἷς ἂν προςέλθω, ὑπερασπάζονταί με διὰ τὸ μηδένα ἄλλον αὐταῖς ἐθέλειν προςιέναι.* Atque ne offendas in plurali numero *οἷς τρόποις*, cogites velim his verbis, cum *προςίοι* praegnanter notionem verbi *εἰςιέναι* quoque contineat, significari varios modos, quibus accesserit ille, ut aliena uxore uteretur ut sua ipsius.

Orat. IV. §. 2.

Καὶ τὴν μὲν ἀντίδοσιν δι' ἐκείνην φανερός ἐστι ποιησάμενος, τὴν δὲ αἰτίαν, δι' ἣν ἀπέδωκεν, ἃ ἔλαβεν, οὐκ ἂν ἄλλην ἔχοι εἰπεῖν (βουλόμενος γ' ἀληθῆ λέγειν) ἢ ὅτι οἱ φίλοι περὶ πάντων ἡμᾶς τούτων συνήλλαξαν.

Recte Hamackerus et Scheibius (cf. huius vindicc. Lysiacc. p. X.) *δι' ἐκείνην* in suspicionem vocaverunt. Nam tantum abest, ut mutatio illa bonorum propter puellam facta sit, ut nulla alia de causa inita sit, nisi quod alter alteri ut fortunis melius instructo ob munus quoddam publicum (*λειτουργίαν*) obeundum mutationem bonorum obtulerat. Atque etiamsi vix quidquam certi de ratione initae mutationis statui potest, tamen licet per coniecturam augurari adversarios ante litem de mutatione bonorum actam et una emisse puellam illam et communem habuisse (cf. §. 12: *ὁμοίως γὰρ προςήκει κἀμοὶ τῆς ἐλευθερίας τὸ ἴσον καταθέντι ἀργύριον.* §. 16: *αὕτη δὲ ὑπῆρχε* (imperfectum!) *κοινὴ ὁμοίως ἀμφοτέρων ἀργύριον κατατεθεικότων*), quae illa bonorum mutatione accusatoris solius facta esset (cf. §. 1: *φανερῶς δὲ περὶ πάντων διαλελυμένον ἀρνεῖσθαι τὰ περὶ τῆς ἀνθρώπου, μὴ κοινῇ ἡμᾶς χρῆσθαι συγχωρῆσαι*), mutatione bonorum autem composita, cum iterum communis esse deberet, ab altero contra pactionem initam non invita retenta esset atque inclusa. Quare mihi, pronomine *ἃ* in *ἣν* mutato, verba *ἃ ἔλαβεν* hoc modo videntur transponenda esse: *Καὶ τὴν μὲν ἀντίδοσιν, δι' ἣν ἔλαβεν ἐκείνην, φανερός ἐστι ποιησάμενος, τὴν δ' αἰτίαν, δι' ἣν ἀπέδωκεν ἐκεῖνα, οὐκ ἂν ἄλλην ἔχοι εἰπεῖν* etc. Verisimile autem est verba *ἣν ἔλαβεν* a librario quodam omissa, deinde in margine posita, ab altero librario propter similitudinem

formarum ἐκείνην et ἐκεῖνα falso ante ἐκεῖνα collocata esse, quo facto et ἥν in ἅ mutandum erat et ἐκεῖνα deletum est. Coniectura mea concinnitas utriusque membri oppositi egregie restituitur, cum verba τὴν μὲν ἀντίδοσιν, δι' ἣν ἔλαβεν ἐκείνην et τὴν δὲ αἰτίαν, δι' ἣν ἀπέδωκεν ἐκεῖνα bene et accurate sibi respondeant.

Orat. IV. §. 17.

Καὶ οὐ λήσει οὐδὲν ἐν ταύτῃ. ἔγωγ' ἄνισον εἶχον βασανισθείσης, ἀλλ' ἀπεκινδύνευον τοῦτο.

Ita praebent hunc locum sine dubio corruptum libri manu scripti praeter codicem Laurentianum, in quo verba οὐδὲν αὐτὴν pro οὐδὲν ἐν ταύτῃ et ἔγωγ' οὐκ ἴσον pro ἔγωγ' ἄνισον reperiuntur. — Verba ἐν ταύτῃ tam simpliciter posita merito viris doctis suspiciosa sunt; non satis enim, quid sibi velint, intellegitur. Lectio autem libri Laurentiani καὶ οὐ λήσει οὐδὲν αὐτὴν omnino sententia caret, nisi mutaveris ἐλελήθει. Quod etiamsi feceris, tamen et in tautologia, quam vocant, καὶ μάλιστα ᾔδει atque καὶ οὐκ ἐλελήθει οὐδὲν αὐτὴν et in participio βασανισθείσης offendes, quod αὐτῆς vel τῆς ἀνθρώπου vel tale quid desideratur. Accedit, quod particulam ἂν nonnulli viri docti necessariam esse putaverunt. Quibus de causis Scheibius scribendum proposuit: καὶ οὐ λήσει οὐδὲν ἐν ταύτῃ. ἔγωγ' ἂν ἄνισον εἶχον βασανισθείσης cet., Sauppius: καί οὐ λήσει οὐδέν· οὐδὲ ταύτης ἂν ἴσον εἶχον βασανισθείσης, Rauchensteinius: καὶ οὐ λήσειν ἤμελλεν οὐδέν· ταύτης ἔγωγ' ἄνισον εἶχον βασανισθείσης, Kayserus καὶ μάλιστα ᾔδει, ὅτι διὰ ταύτην ἅπαντα τὰ πραχθέντα ἡμῖν γεγένηται· καίτοι vel simpliciter καὶ οὐ λήσειν ἡγούμην οὐκ ἴσον ἔγωγε ἔχων βασανισθείσης ταύτης.

Ac si iam nostrum est dicere, quid de illis hominum doctorum coniecturis sentiamus, Kayserus extra coniecturae modum prodisse videtur et multo plura mutasse, quam opus erat. Nec magis Sauppio, Scheibio, Rauchensteinio astipulamur propter ea, quae iam diximus, quod ἐν ταύτῃ non satis intellegitur neque particula ἂν necessaria neque καὶ οὐ λήσειν ἤμελλεν οὐδὲν, quomodo Rauchensteinius scribendum proposuit, satis perspicuum est. Utrique autem sententiae et „neque quidquam latebit in illa" et „neque quidquam in occulto futurum erat" (Rauchenst.), condicio addenda fuit, illi: „si de illa tormentis quaesitum erit", huic: „si de illa tormentis quaereretur." Quare rectius βασανισθείσης in enuntiatum, quod praecedit, quam ἐν ταύτῃ vel αὐτὴν mutata forma in enuntiatum, quod insequitur, transfertur.

Itaque legendum proponimus: καὶ οὐ λήσει οὐδὲν ταύτης βασανισθείσης. ἐγὼ δ' οὐκ ἴσον εἶχον, ἀλλ' ἀπεκινδύνευον τοῦτο. Neque enim minus facile τοῦτο ad οὐκ ἴσον εἶχον quoque mente additur, quam hoc τοῦτο ipsum intellegitur βασανισθείσης ταύτης vel τὸ βασανίζειν αὐτήν. Totum autem locum suspicamur inde corruptelam contraxisse, quod librarius verbum βασανισθείσης glossae loco ad verba οὐκ ἴσον εἶχον adjecit. Quo facto postquam idem participium post ταύτης excidit, ταύτης aut in ἐν ταύτῃ propter οὐδὲν aut in αὐτὴν propter λήσει facile mutari poterat et, cum particula ἂν adiecta esset, librario ἂν ἴσον in unum verbum contrahenti negatio οὐκ supervacanea videbatur. Itaque particulam ἂν hoc loco abesse volumus contra Scheibium et Sauppium, viros illos doctissimos.

Verba autem ita intellegimus: Quamquam iniquum (sc. mihi) hoc ducebam [et etiam nunc duco], sc. puellam tormentis interrogari, quod non tam propensa in me quam in adversarium est voluntate, tamen hoc periculum facere volebam [et etiam nunc volo]. Eodem modo, quo hic *οὐκ ἴσον εἶχον*, in paragrapho 17 quoque *κατέφυγον* legitur particula *ἂν* non addita.

Jam vero aliud quoque argumentum allaturi sumus, quo probemus omittendam esse particulam *ἂν*. Existimamus enim oratorem hoc quoque sibi voluisse: Quamquam iam in priore oratione demonstravi iniquum (sc. mihi) esse illud vel quamquam iam in priore oratione illud mihi iniquum iudicavi et etiam nunc idem iudico, tamen et illa in priore oratione dixi et in hac dico me paratum esse hoc periculum facere.

Hac interpretatione, ut ab eo, quod instituimus, digrediamur, satis dilucide significavimus, hanc orationem, quam Lysiae tribuendam esse sunt qui negent (de qua re vide, quae Blassius disputavit in egregio illo libro, qui inscribitur „die attische Beredsamkeit von Gorgias bis auf Lysias", Leipzig 1868), esse alteram in eadem causa ab eodem accusato dictam, quam vocant non *δευτερολογίαν*, sed *δεύτερον* vel *ὕστερον λόγον*, quarum orationum generis exempla exstant tetralogiae illae, quibus Antiphon orator fictas tractat causas. cf. Meier und Schoemann „der attische Process", p. 711, not. 24 („Auch von Lysias, Isaeus und Lycurg werden mehr als zwei Reden in einer Sache bei Harpocration und andern angeführt."). Ob id ipsum in hac quarta oratione testes non citantur et producuntur, et testimonia atque argumenta ita commemorantur, ut iam in priore oratione prolata esse videantur. cf. §. 12 *ἐκ τοσούτων τεκμηρίων καί μαρτυριῶν ἡμῖν ἀποδέδεικται.* Attamen non negandum est his verbis allatis non refutari Blassii sententiam l. l. p. 590: „Die vierte Rede hat das unglückliche Schicksal gehabt, dass der ganze erste Theil verloren gegangen ist, und zwar schon vor der Zeit des Palatinus. Dieser mir unleugbar scheinenden Annahme, die auch Scheibe und Francken vertreten, stellt Sauppe (ed. Turic. adnot. [1]) die entgegen, dass eine Deuterologie vorliege, indem allerdings bei den Klagen *τραύματος ἐκ προνοίας* wie bei denen *φόνου* eine doppelte Verhandlung stattfinden musste. Aber die Hauptrede hätte alsdann wenig mehr als die Erzählung enthalten können, indem im Uebrigen der Beweis hier vollständig vorliegt. Dazu bezieht sich der Sprecher in einer Art Recapitulation (§. 12) auf die Zeugnisse (*ἐκ τοσούτων τεκμηρίων καὶ μαρτυριῶν*), von welchen in dem erhaltenen Theile nichts vorkommt. Ueberhaupt ist die Annahme einer Deuterologie, wo die Hauptrede fehlt, lediglich bei verschiedenen Sprechern statthaft!" Id quidem recte; *δευτερολογία* non est haec oratio, sed *δεύτερος* vel *ὕστερος λόγος* (Duplik), qui (cf. Meier und Schoemann l. l.) in eadem causa ab eodem oratore et eo quidem, qui reus factus erat, habitus est. Hoc autem mihi quidem hinc colligi posse videtur. Maximum argumentum, quo reus innocentiam suam probaturus postulavit, ut de illa puella tormentis quaereretur, ab oratore significatur ita, ut satis appareat reum illud iam priore sua defensione postulavisse, negavisse autem sua altera accusatione (*δευτέρῳ λόγῳ*) accusatorem. cf. §. 10 *καί φησι μὲν δεινῶς ἐπιβουλευθῆναι καὶ πρὸς ἅπανθ' ἡμῖν ἀμφισβητεῖ, ἐξὸν*

---

[1]) Hanc adnotationem in Sauppii editione reperire non potui.

δ' ἐκ τῆς ἀνθρώπου βασανισθείσης τὸν ἔλεγχον ποιήσασθαι οὐκ ἠθέλησεν (aor.!). §. 14 ὥσθ' ὑμῖν προσήκει μὴ ἀποδέχεσθαι αὐτοῦ διὰ τοῦτο οὐκ ἀξιοῦντος βασανισθῆναι (postulatum igitur erat ab reo, ut tormentis puella interrogaretur) τὴν ἄνθρωπον, ὅτι αὐτὴν ἐλευθέραν ἐσκήπτετο εἶναι. §. 15. οὐ γὰρ δήπου τήν γε τούτου πρόκλησιν πιστοτέραν ὑμᾶς νομίζειν δεῖ τῆς ἡμετέρας, ἐφ' οἷς τοὺς αὐτοῦ οἰκέτας ἠξίου βασανίζεσθαι. Neque minime hanc orationem esse λόγον δεύτερον vel ὕστερον in eadem causa habitum apparet ex his paragraphi 17 verbis: ἀλλ' ὅμως ἐγὼ μὲν εἰς ταύτην κατέφυγον (aor.!), οὗτος δὲ οὐκ ἐπίστευσεν (aor.!) αὐτῇ, quibus ex verbis satis colligi potest accusatorem, cum timeret, ne puella dolore tormentorum verum diceret, ipsum altera oratione id fieri vehementer vetuisse, quod reus, cum manu missam illam esse diceret, priore defensione postulaverat. Accedit, quod epilogus orationis (§. 20) prorsus convenit alteri orationi, quam nulla iam actio in Areopagi iudicio sequi solebat. Quod vero Blassius λόγον ὕστερον statui posse negat: „Aber die Hauptrede hätte alsdann wenig mehr als die Erzählung enthalten können, indem im Uebrigen der Beweis hier vollständig vorliegt", id nec probari potest nec refutari. Nam de priore oratione, cum perdita sit, iudicare non possumus, et si concedimus eam vix quidquam aliud quam narrationem causae [et certe postulationem tormentorum puellae adhibendorum] continuisse, non minus concedendum putamus oratorem artificiose et prudenter argumentum gravissimum innocentiae, quod accusator de puella tormentis quaeri vetaret, altera oratione tractavisse. Qui cum accusatorem illud facturum esse praevideret, quo iudices magis hoc gravissimo, quod refutandi et reicendi potestas iam non data erat, argumento commoti eiusque recordati iudicium suum facerent, rectissime et prudentissime id ipsum argumentum in hunc locum atque in hoc tempus distulit.

Orat. VII. §. 2.

In codice Palatino haec inveniuntur verba:

> οὕτω δ' ἄπορος ὁ ἀγών μοι καθέστηκεν, ὥστε ἀπεγράφην τὸ μὲν πρῶτον ἐλαίαν ἐκ τῆς γῆς ἀφανίζειν, καὶ πρὸς τοὺς ἐωνημένους τοὺς καρποὺς τῶν μοριῶν πυνθανόμενοι προςῄεσαν. ἐπειδὴ δ' ἐκ τούτου τοῦ τρόπου ἀδικοῦντά με οὐδὲν εὑρεῖν ἐδυνήθησαν, νυνί με σηκὸν ἀφανίζειν, οἰόμενοι ἐμοὶ μὲν ταύτην τὴν αἰτίαν ἀπορωτάτην εἶναι ἀποδεῖξαι, αὐτοῖς δὲ ἐξεῖναι μᾶλλον ὅτι ἂν βούλωνται λέγειν, quibus in verbis supra οἰόμενοι scriptum est ἡγου.

Haec verba corrupta esse neque enuntiatum hoc modo ferri posse, neminem esse puto, quin videat. Quare viri docti aut artificiosae interpretationis viam ingredi aut coniecturis huic loco medicinam adhibere conati sunt. Ac fuerunt, qui, cum verbum accusandi sive dicendi, ex quo accusativus cum infinitivo coniunctus νυνί με σηκὸν ἀφανίζειν penderet, desiderari non posset, ex verbis, quae praecedunt, ἀπεγράφην τὸ μὲν πρῶτον ἐλαίαν ἐκ τῆς γῆς ἀφανίζειν hoc loco arbitrarentur cogitando addendum esse ἀπογράφονται. Quod falso facere eos Rauchensteinius in adnotatione, quam ad hunc locum fecit, probavit, cum diceret adversarium eiusque socios in dicendo accusationem mutavisse et recessisse ab illa ratione, quam in scripta accusatione inissent. Sed altera quoque causa mihi videtur esse, cur minime concedere possimus ex ἀπεγράφην ad hunc

locum verbum ἀπογράφονται mente repetendum esse. Lysias enim tam perspicue componere solet enuntiata, ut vix putemus tot verbis interpositis ex ἀπεγράφην eum hoc loco voluisse ἀπογράφονται intellegi, id quod eo difficilius est, quoniam non eadem verbi forma, sed pro passivo medium, pro aoristo tempus praesens, pro prima singularis numeri persona pluralis tertia intellegenda esset. Quam difficultatem ut evitaret, Meutznerus in commentatione de Lysiae oratione περὶ τοῦ σηκοῦ, Lipsiae 1860, scribendum proposuit ἀπεγράφοντό με pro ἀπεγράφη τὸ μὲν, ita ut idem ἀπεγράφοντο ad νυνί με σηκὸν ἀφανίζειν referendum esset, id quod Rauchensteinius merito reprobavit in Fleckeisenii nov. annall. philoll. 81 p. 845.

Neque tamen dubitandum est, quin in verbis νυνί με σηκὸν ἀφανίζειν οἰόμενοι ἐμοὶ μὲν ταύτην τὴν αἰτίαν ἀπορωτάτην εἶναι ἀποδεῖξαι vitium insit. Et recte quidem viri docti hoc vitium in verbo ἀποδεῖξαι inesse putaverunt, quod hoc loco non potest sine artificio explicari. Atque Scheibius, quam in Vindicc. Lysiacc. p. 9 proposuit explicationem verbi ἀποδεῖξαι, in quo notionem „efficiendi vel faciendi“ inesse voluit, iam ipse deseruit in lectionibus Lysiacis, quas protulit in Jahnii annall. philoll. supplem. I. p. 309. Quae cum ita sint, Westermannus secutus Marklandium suspicatus est et ἀποδεῖξαι mutandum esse in ἀπελέγξαι (cf. Westermanni commentatt. crit. partic. IV p. 4.) — certe haec est lenissima mutatio — et inter verba σηκὸν et ἀφανίζειν inserendum φασίν, e quo accusativum cum infinitivo coniunctum νυνί με σηκὸν ἀφανίζειν pendere vult. Quam emendationem non modo Westermannus ipse, sed etiam Rauchensteinius et Scheibius, cum probassent, in textum, qui vocatur, recipere non dubitaverunt. Atque Scheibius in lectionibus Lysiacis (cf. Jahnii annall. philoll. l. l.) se recte id fecisse ostendere studet his verbis: „Librarius enim sive visu oculorum ab uno verbo ad alterum aberrans seu compendiorum parum curiosus aut gnarus ambo conglutinavit.“ Hac coniectura bonam effici sententiam et omnia bene fluere ac perspicua esse satis apparet; at vero si verba inserimus aliaque mutamus in eodem enuntiati membro, facile fieri potest, ut non orationem, sed oratorem ipsum emendare videamur.

Similem viam, quae multo maiorem veritatis speciem habere videtur, ingressus est H. Sauppius, vir ille doctissimus, qui nec verbum ἀποδεῖξαι libris manu scriptis traditum mutavit et ex ἡγου, quod in codice Palatino supra οἰόμενοι scriptum legi iam commemoravimus, restituendum esse putavit λέγουσιν. Hac Sauppii coniectura eandem, quam Westermannus et Scheibius et Rauchensteinius volunt, sententiam evadere luce clarius est, verbum ἀποδεῖξαι autem non emendatum nisi artificiose hoc loco explicari non posse iam indicavimus. At cum utraque coniectura aut alterum verbum mutetur vel emendetur, aut alterum illud quidem non mutetur, sed paene sine ulla extrinsecus allata causa inseratur, mihi quidem neutra recipienda videtur, sed id videndum, utrum aliam emendandi rationem invenire possimus, qua ante omnia id demonstretur, quomodo factum sit, ut oratoris verba hoc loco ita corrupta sint, et explicetur, unde „verbum ἀποδεῖξαι, quod nullam admittat interpretationem, irrepserit potueritque irrepere“, — id quod neminem unquam „satis explicaturum esse“ Scheibius putat. cf. Scheibii vindicc. Lysiacc. p. 9.

Videor autem mihi, nisi fallor, hoc loco ἀπέδειξαν recte scribere, quod Lysias, si pro genuina lectione habere velis, post verbum ἀφανίζειν posuerat, librarius autem ex priore versu in

posteriore collocavit post verba *ἀπορωτάτην εἶναι.* Ibi cum non intellegeretur, in *ἀποδεῖξαι* mutatum esse suspicor, ut hic infinitivus ex *ἀπορωτάτειν εἶναι* dependeret. Sed *ἀπορωτάτην εἶναι* nullum desiderare additamentum negari non potest, quoniam idem verbum initio huius paragraphi item absolute dictum est. Quodsi sententiam, quae nostra coniectura efficitur, respicimus, bene procedit oratio. Postquam enim homo ille accusatores non potuisse probare sese exstirpasse oleam dixit, pergit: „nunc vero oleam sacram vel oleae sacrae truncum me evertisse demonstraverunt", ita ut haec verba cum ironia quadam atque acerbitate et cum gradatione (*ἀπεγράφην — ἀπέδειξαν*) dicta sint, qua sibi opponuntur verba accusandi et probandi.

Orat. VII. §. 23.

In codice Palatino ita legitur:

δεινότατα οὖν πάσχω. ὃς εἰ μὲν παρέσχετο μάρτυρας, τούτοις ἂν ἠξίου πιστεύειν, ἐπειδὴ δὲ οὐκ εἰσὶν αὐτῷ, ἐμοὶ καὶ ταύτην τὴν ζημίαν οἴεται χρῆναι γενέσθαι: καὶ τοῦτο (emendandum est *τούτου*) *μὲν οὐ θαυμάζω. οὐ γὰρ δήπου συκοφαντῶν ἄλλα* (in ceteris codicibus exstat aut *ἄλλα* aut *ἀλλά*) *τοιούτων γε λόγων ἀπορήσει καὶ μαρτύρων. ὑμᾶς δὲ οὐκ ἀξιῶ τὴν αὐτὴν τούτῳ γνώμην ἔχειν.*

Fere omnes interpretes atque editores Lysiae offenderunt in pronomine relativo *ὅς*. Atque profecto dura esset oratio, si ad verbum *πάσχω* cogitatione addendum censeremus *ὑπὸ τούτου*, ad quod pronomen demonstrativum referretur relativum *ὅς*. Quae cum ita sint, alii aliam interpretandi et emendandi rationem huic loco adhibuerunt. Et primum quidem Hamackerus Kaysero probante non solum mente, verum etiam calamo adiciendum esse putavit *ὑπὸ τούτου* vel *ὑπὸ τουτουί,* quae coniectura iustos fines mihi quidem videtur transire neque admittenda esse, quamvis non negem illis verbis *ὑπὸ τουτουί* additis orationem bene fluere et valde perspicuam fieri. Deinde Westermannus (cf. eius commentatt. crit. in scriptores graec. part. IV. p. 5) prorsus eiecit *ὅς*, quod asyndeton, collata Franckii adnotatione ad Demosthenis orat. IV. §. 14, legitimum et post formulam *ὁ δ' οὖν δεινότατον* et quae sunt similia usitatum esse dicit. Atque profecto nihil facilius est quam, quod verbum primo obtutu non intellegitur, si totius loci sententia non dissolvitur, omnino delere; quo facto, certe omnis remota est difficultas. Scheibius autem, qui non minus quam Westermannus *ὅς* hoc loco ferri non posse iudicavit ideoque eiecit, aut particula *γὰρ* post verba *εἰ μὲν* addita aut particula *ὅτι*, quae in *ὅς* mutilata esset, ante *εἰ μὲν* posita coniungit enuntiata. Quodsi sententiam, quae ex coniecturis, quas modo dixi, existit, respicimus, vix possumus pugnare contra Scheibium, praesertim cum illa coniectura, qua *γὰρ* inseritur, bonus orationis cursus efficiatur. Cum autem Scheibius ipse utramque deseruerit coniecturam neque amplius defenderit, alia eaque nova proposita, vix opus est illas reicere emendationes, quarum illa iusto magis a codicum scriptura recedit, haec quamvis lenissima mutatione, tamen mutatione verbi orta est. Novam illam coniecturam Scheibius ipse in praefatione editionis suae Lysiae p. XIX. his verbis proponit: „Quidni igitur scribas *πάσχω, ὅσῳ εἰ μὲν* etc."; quae verba hoc modo explicat vir ille doctissimus: „iniquissima igitur patior, quatenus (quandoquidem) si." Profecto hac omnes

coniecturae, quibus Rauchensteinii coniecturam adicere volumus, qui in editione III. scribendum proposuerat ὅτε pro ὅς, nunc vero cum Meutznero ad Scheibii ὅσῳ confugit, et Hamackeri iam a Scheibio (cf. eius vindicc. Lysiacc. p. 23) refutatam ποιεῖ, ὃς εἰ μὲν, quamquam bonam exhibent sententiam totius loci rationi accommodatam, tamen recedunt plus minusve a codicum scriptura, quae si defendi potest, sine dubio servanda est.

Atque ut omittamus illas emendationes, in quibus recensendis ne iusto diutius iam morati simus, veremur, id accuratius inquirere nobis est in animo, utrum ea, quam codices manu scripti exhibent, lectio ferri possit necne. Id vero recte iudicare non possumus, nisi eam, quae par est, rationem sermonis Lysiaci habemus. Existimamus autem lectionem traditam ὅς defendi posse, si post πάσχω maioris interpunctionis signum ponitur, quo efficitur, ut ex uno enuntiato, quod voluerunt interpretes, quasi duo enuntiata: *δεινότατα οὖν πάσχω* et *ὅς εἰ μὲν παρέσχετο μάρτυρας — οἴεται χρῆναι γενέσθαι* statuantur. Ita fit, ut sententia, quae in utroque membro inest, multo magis sua ipsius vi utatur atque ita augeatur. Haec enim est sententia: „Iniquissima patior; Ille enim (ὅς), si testes produxisset, ut iis crederetur, postulare poterat; cum autem ei testes non sint, tamen mihi nihilo secius poenas solvendas esse putat.“ Quoniam igitur hoc modo enuntiatum *ὅς εἰ μὲν παρέσχετο — χρῆναι γενέσθαι* per se stat, non modo oppositio, quae inest, magis effertur, verum etiam persona accusatoris, qui pronomine relativo „emphatice“ significatur et id, quod stulte sibi vult, acerbius perstringitur. Itaque mihi quidem videtur ὅς, quod in libris manu scriptis legitur, retinendum esse. Nam Lysiam tales, quamvis duras locutiones, praecipue in enuntiatis relativis non evitare, id probatum esse velim verbis, quae leguntur XXV. 1: *τῶν δὲ κατηγόρων θαυμάζω· οἳ ἀμελοῦντες τῶν οἰκείων τῶν ἀλλοτρίων ἐπιμελοῦνται· οἳ σαφῶς εἰδότες τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας καὶ τοὺς πολλὰ ἐξημαρτηκότας ζητοῦσιν κερδαίνειν ἢ ὑμᾶς πείθειν περὶ ἁπάντων ἡμῶν τὴν γνώμην ταύτην ἔχειν*, quo loco non minus utrumque οἵ, quod in codicibus reperitur, servandum esse existimamus neque aut in *καὶ* aut in *εἰ* aut, quae sunt similia, mutandum. Certe utroque loco durities quaedam cognoscitur, quae cum aliis quoque locis Lysiae inveniatur, non est removenda. cf. IV. 10 ἥ. VII. 15 ὅς. X, 27 ὅς. X. 31 ὃς μόνος. XII. 40 οἵτινες. XII. 83 ὧν οὗτοι. XXX. 25 ὅς. XXX. 27 ὅς. Madvigi syntax. graec. §. 106, d. Frohbergerus ad Lys. XII. 40, XXV. 29. Exspectamus sine dubio γάρ; sed ea particula apud pronomen relativum pro demonstrativo positum a Graecis omitti solet eodem modo, quo in lingua latina particulae „nam, enim, sed, autem, igitur“ et quae sunt similes, a Romanis omitti debent.

Quae res cum ita se habeat, ut vix putamus merito viros doctos codicum lectionem ὅς in suspicionem vocavisse, ita verba *ταύτην τὴν ζημίαν* quae sub finem huius enuntiati leguntur, corrupta esse iure existimant. Atque tantum abest, ut verba *ἐμοὶ καὶ ταύτην τὴν ζημίαν οἴεται χρῆναι γενέσθαι* sana sint, ut ea, sicut tradita sunt, vitio quodam laborare manifestum sit. Neque enim interpretatio Rauchensteinii admitti potest, qui in editione III. verba *καὶ ταύτην τὴν ζημίαν* hoc modo germanice explicat: „Nachtheil, auch diesen, nemlich *τὸ μὴ εἶναι αὐτῷ μάρτυρας*. Weil er keine Zeugen hat, so glaubt er, ich müsse auch keine haben, allein ich habe welche und zwar euch selbst (§. 25).“ Eam vero verborum interpretationem satis apparet nec verbis

graecis respondere, quod tum scribendum erat vel καὶ ἐμοὶ ταύτην τὴν ζημίαν vel ἐμοὶ καὶ τὴν αὐτὴν ζημίαν, nec sententiae loci, quod orator, si id sibi voluisset („auch diesen"), antea significare debebat se iam aliud incommodum accepisse. Quae cum ita sint, Rauchensteinius ipse, hac interpretatione omissa, nunc in editione VI articulo τὴν deleto secutus est Bekkerum et Meutznerum, quorum hic locum ita explicat: „Hoc queritur, quod accusator, cum ipse testes non potuerit invenire, eo processerit impudentiae, ut hoc suum incommodum reo verteret vitio diceretque propter rei potentiam, gratias, divitias neminem sibi testem prodire." cf. Fleckeisenii nov. annall. philoll. 81 p. 746. Eandem sententiam sibi sumsit Sauppius in Philoll. vol. XXV. p. 262: „Jetzt soll, dass er keine Zeugen hat, mir auch zum Nachtheil ausschlagen; denn nur durch meinen Einfluss und mein Geld seien die Zeugen für seine Anklage beseitigt. §. 21." Sed ne hanc quidem sententiam probandam esse censemus. Nam ut praetermittamus eam nisi articulo τὴν deleto effici non posse, vix credendum est oratorem hoc loco iis omissis, quae §. 22 de testibus leguntur, ad §. 21 respexisse, de Areopagitis autem illud Meutzneri nullo modo dici potest. Praeterea haec interpretatio pro Lysiae dilucida et simplici oratione, praesertim si agricola dicens fingitur, obscurior et artificiosior est, id quod Rauchensteinii ipsius exemplo probatum esse volumus. Is enim vir sagacissimus et orationis Lysiacae sine dubio peritissimus ne ipse quidem in hanc arcessitam explicationem incidit. Quamobrem verba codicum hoc loco ita sana non videntur, ut satis bene explicari possint.

Itaque ut huic loco medeamur, scribendum proponimus ταύτῃ pro ταύτην; sane lenissima est haec coniectura et eo probabilior, quod facile fieri potuit, ut is, qui codicem scribebat, sententia totius loci non cognita, hoc ταύτῃ propter accusativum τὴν ζημίαν, qui subsequitur, in ταύτην depravaret. Egregiam autem sententiam effici facile probare mihi videor, cum verba Lysiae hoc modo in sermonem latinum vertam: „iniquissima patior; iste enim si testes produxisset, ut iis confideretur, postulare poterat; cum vero testes ei non sint, mihi etiam ita (i. e. quamvis testes producere non possit) vel nihilo minus eam, quam vult, poenam solvendam esse putat", ita ut καὶ ταύτῃ sermone patrio interpretemur „auch so, trotzdem." ταύτῃ autem apud Lysiam adverbialiter usurpatum reperies: XII. 15, XIV. 4, XXIV. 23, ubi vide Frohbergeri adnotationem tom. III. p. 154 et 215.

Haec sententia, quam in hoc loco inesse velim, bene quadrat in verba insequentia, quae aperte corrupta plurimi editores Bekkero auctore ita praebent: οὐ γὰρ δήπου συκοφαντῶν ἅμα (cod. Palat. ἄλλα — cf. quae Sauppius disputavit in Philoll. XXV. p. 262 sq. — ceteri codd. aut ἄλλα aut ἀλλὰ) τοιούτων τε (codd. γε) λόγων ἀπορήσει καὶ μαρτύρων. Profecto lenis est Bekkeri coniectura et eo magis admittenda, quo saepius litterae λλ et μ in codicibus inter se mutatae inveniuntur. Neque difficilius particula γε in τε mutatur. Attamen offendimus in hac Bekkeri coniectura non modo propter collocationem verborum καὶ μαρτύρων, quae ante ἀπορήσει collocanda erant, sed etiam quod sententia ita reddita non satis respondet simplicitati, qua agricola dicere solet. Praeterea Rauchensteinius in Fleckeisenii nov. annall. philoll. 93 p. 659, ne τοιούτων pronomen ad μαρτύρων quoque referatur, particulam γε in τε mutari vetat. Quare mihi non

dubium videtur, quin Lysias sic scripserit: οὐ γὰρ δήπου συκοφαντῶν τοιούτων γε λόγων ἀπορήσει, ἀλλὰ μαρτύρων. Nam postquam particula ἀλλὰ in superiorem irrepsit versum librarius μαρτύρων cum iis, quae praecedunt, coniunxit particula καί, quam ideo eieci. — Coniecturas vero Foertschii, qui scribendum censuit: οὐ γὰρ δήπου συκοφαντῶν ἀλλὰ τοιούτων γε λόγων ἀπορήσει, εἰ καὶ μαρτύρων, et Cobeti, qui Bekkeri emendatione ἅμα τε — καὶ probata εὐπορήσει pro ἀπορήσει legere vult, Sauppius l. l. satis refellit.

Orat. VIII. §. 4.

καίτοι οὕτως ἐνοχλεῖ, ὥστε περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν.

Vix ullum verbum huius paragraphi a viris doctis coniectura tentatum non est, quare merito Scheibius in praefat. crit p. XXI. hunc locum „corruptissimum“ vocat, „cui multa sint adhibita sanandi genera, quorum ut aliud alio incertius sit et contortius, ita improbabilius.“ Nam coniecturas virorum doctorum, si leviter tantum inspexeris, te non fugiet aut extra modum excedere aut non satis bonam efficere sententiam. Inspicias velim coniecturas Palmeri: καίτοι οὗτος ἐνοχλεῖ, ὅστε περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι ἢ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν, Marklandi: καίτοι οὕτως ἐνοχλεῖτε, ὡς περὶ πλείονος ποιεῖσθαι τὸ δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι μᾶλλον ἢ (ita iam Taylorus emendavit) ἐμοῦ κατειπεῖν, Emperii: καίτοι οὗτος ὃν ἐνοχλεῖν ᾤεσθε περὶ πλείστου ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατεῖπεν, aut καίτοι οὗτος, ὃν ἠνωχλεῖτε περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, δι' ἄλλων ἐμοὶ κατεῖπεν, qua verborum mutatione sine dubio nixus Westermannus locum simplicius ita emendandum censet: καίτοι οὗτος ἐνοχλεῖ, ὅς γε περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι καὶ δι' ἄλλων ἐμοὶ κατεῖπεν.

Quas coniecturas quominus probemus, inde impedimur, quod comparatione περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι et καὶ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν vel κατεῖπεν perversa efficitur sententia, quae perversitas illis coniecturis ex parte minuitur, prorsus non tollitur. Atque in ea quoque re mihi quidem erravisse videntur ii viri docti, qui, ἐμοὶ κατεῖπεν scribendo, illa verba ad eum rettulerunt, qui eorum, qui putabantur amici esse, calumnias et iniurias oratori denunciaret. Eum autem hominem hoc loco non significari apparet ex his §. 9 verbis: ἐκεῖνος γὰρ ἐμοὶ χαριζόμενος ἀπήγγειλε τοῖς ἐμοῖς ἀναγκαίοις, ὑμεῖς δὲ βλάπτειν ἐμὲ βουλόμενοι πρὸς ἐκεῖνον ἐλέγετε. Nam quomodo is molestus dici potest, qui oratori morem gerit? id quod in Westermanni coniectura inesse cognosces. Quare non minus ab Emperii, quam modo dixi, coniectura quam a Kayseri emendatione discedimus, quam protulit in Philoll. XIII. p. 160 καίτοι οὕτως ἠνωχλεῖτε τινί, ὥστε περὶ πλείονος ἐπονήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι ἢ μᾶλλον κατ' ἐμοῦ εἰπεῖν. Nam quid in hac coniectura sibi velit verbum δοκεῖν κήδεσθαι, eo minus intellegitur, quod ille non tam visus est oratori consulere, quam re vera consuluit. Itaque Kaysero verbum δοκεῖν delendum erat. Accedit, quod oratio non modo nimis quaesita et contorta est, sed etiam repugnat verbis

§. 8: *καὶ ταῦτα δ', ὅτι πρὸς τοὺς τελειπαίους ἔλεγεν* (fortasse *ἐλέγετε*, cf. §. 7 *ὑπερείδετε*, §. 8 *ἐλέγετε*, quibus locis in codicibus *ὑπερεῖδε* et *ἔλεγε* reperitur), *οὓς φῄεσθε ἐπαγγελεῖν ἡμῖν.*

Quae cum ita sint, recte mihi quidem videtur Franzius in editione sua p. 225 dixisse: „Ad unum inimicorum repente convertitur oratio, quae immutatio menti inflammatae oratoris praeclare convenit.“ Quare existimo hoc in enuntiato eam inesse sententiam, qua orator dicit eum hominem, qui male de se dixerit, eo molestiorem sibi esse, quo magis ille id egerit, ut suae dignitati studiosus esse videretur. Haec autem sententia ut in verbis graecis facile et aperte cognoscatur, necessarium esse existimo, particula *καὶ* post *κήδεσθαι* deleta, verba *μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν* in *μᾶλλον ὃς ἐμοῦ κατεῖπεν* mutata ante *ἐνοχλεῖ* inseri et locum ita restitui: *καὶ τοσούτῳ* (cod. Palatinus *τοιούτωι*, similiter alii codices) *μᾶλλον ὃς ἐμοῦ κατεῖπεν, ἐνοχλεῖ* (sc. *ἐμοὶ*), *ὅσῳ γε περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι.* Particula *καὶ* eodem modo irrepsit quo VII. 23 *καὶ μαρτύρων*, et pronomen *ὅς*, quod, verbis alio loco positis, non intellegebatur, librarius delevit; quod cum fecisset, non modo *κατεῖπεν* in *κατειπεῖν* mutavit, ut hic infinitivus quoque ex *περὶ πλείονος ἐποιήσατο* dependeret, sed etiam *ὅσῳ γε*, cum sententia careret, in *ὥστε.*

Orat. X. §§. 1 et 2:

Ἐν ἐκείνῳ γὰρ τῷ ἀγῶνι τὸν πατέρα μ' ἔφασκεν ἀπεκτονέναι τὸν ἐμαυτοῦ. ἐγὼ δ' εἰ μὲν τὸν ἑαυτοῦ με ἀπεκτονέναι ᾐτιᾶτο, συγγνώμην ἂν εἶχον αὐτῷ τῶν εἰρημένων· φαῦλον γὰρ αὐτὸν καὶ οὐδενὸς ἄξιον ἡγούμην κτλ.

In his verbis, sicut in codicibus manu scriptis leguntur, *τὸν ἐμαυτοῦ* in suspicionem revocanda esse arbitror. Quae verba si suo posita essent loco, negandum non est in insequentibus enuntiatis discrimen inter necem utriusque patris, et Theomnesti et eius, qui hanc orationem dixit, inepte statui, cum, verbis *τὸν ἐμαυτοῦ* positis, nullo modo de Theomnesti patre cogitari possit. Quamobrem verba libris manu scriptis exhibita corruptelam ita contraxisse existimamus, ut *τὸν ἐμαυτοῦ* alio ex loco ad *τὸν πατέρα* accuratius definiendum a librario quodam huc translata sint. Atque verbis *τὸν ἐμαυτοῦ* deletis nominum controversia, quae in paragraphis 2 et 3 inest, ex ipsa natura articuli *τὸν* (*πατέρα*) quasi sua sponte proficiscitur. Nam quod orator dicit: *τὸν πατέρα μ' ἔφασκεν ἀπεκτονέναι*, non statim apparet, ad utrum patrem haec spectent verba, utrum ad patrem Theomnesti, qui verbo *ἔφασκεν* intellegitur, an ad patrem oratoris, qui pronomine *με* significatur. Quae cum ita sint, hoc loco verba *τὸν ἐμαυτοῦ* delenda esse censeo vel potius, articulo *τὸν* in *τοῦ* mutato, in §. 3 post *περὶ πατρὸς* transponenda. Nam ut *τὸν ἐμαυτοῦ* §. 1 extr. deleamus, ea quoque re nobis persuadetur, quod orat. XI. §. 1 eodem modo simpliciter posita inveniuntur verba: *ὅτι μὲν τὸν πατέρα μ' ἔφασκεν ἀπεκτονέναι*, additamento *τὸν ἐμαυτοῦ* omisso. Id autem eo gravius existimandum est, „quod undecimam orationem, siquidem eo nomine digna est, e decima excerptam esse constat et alteram alteri lucem afferre consentaneum est.“ cf. Scheibii lection. Lysiacc. l. l. p. 312. Blass „die attische Beredsamkeit von Gorgias bis zu Lysias“ p. 611.

Ut vero *τοῦ ἐμαυτοῦ* in §. 3 post *τοῦ πατρὸς* collocemus, eo adducimur, quod in §. 3 oratori faciendum erat, ut, cum verba *περὶ τοῦ πατρὸς* opposita essent verbis §. 2: *ἐγὼ δ' εἰ μὲν*

τὸν ἑαυτοῦ με ἀπεκτονέναι ᾐτιᾶτο, συγγνώμην ἂν εἶχον, eum, quem illis verbis περὶ τοῦ πατρὸς dicit, accuratius definiret pronomine τοῦ ἐμαυτοῦ opposito. cf. Scheibii emendatt. Lysiacc. fascicul. Strelitz 1851 p. 35 adnot. et eiusdem viri docti lection. Lysiacc. l. l. p. 351 not. 55. Ut autem τοῦ ἐμαυτοῦ (§. 3) excideret, hoc modo factum esse verisimile est: librarius quidam, cum verba τὸν ἐμαυτοῦ (§. 1), quae in margine glossematis loco scripta invenerat, textui, qui vocatur, inseruisset, §. 3 eadem verba repetere supervacaneum existimavit ideoque omisit vel delevit.

Jam restat, ut tractemus coniecturam Emperii (cf. eius opusc. p. 314): φαῦλον γὰρ αὐτὸ καὶ οὐδενὸς ἄξιον ἡγούμην pro φαῦλον γὰρ αὐτὸν καὶ οὐδενὸς ἄξιον ἡγούμην. Quae coniectura ut comprobanda sit, valde veremur. Et Bekkerus, Bremius, Foertschius αὐτὸν servaverunt, quod Franckenius et ipse in egregiis illis commentationibus Lysiacis p. 73 defendit his verbis: „eum enim abiectum et contemnendum putabam (nimirum dum in vivis erat); aptius φαῦλος καὶ οὐδενὸς ἄξιος de homine quam de re dicitur.“ coll. Isae. II. 43. Eam interpretationem comprobaverunt Rauchensteinius in Fleckeisenii nov. annall. philoll. 93 p. 659 et Kayserus in Philoll. XXV. p. 309. At Emperii emendationis patronus exstitit Frohbergerus, qui in appendice tom. II. p. 155 non modo haud paucis locis allatis usum vocabuli φαῦλος de re quoque dicti demonstravit, sed etiam haec disputavit: „Der Gedanke: ‚ich würde es dem Theomnestus verzeihen, wenn er mich beschuldigte, seinen Vater getödtet zu haben; denn diesen hielt ich für ein schlechtes Subject‘, ist doch unpassend, insofern es sich gar nicht um eine eventuelle Rechtfertigung oder Entschuldigung der That, sondern lediglich um die Nichtbeachtung der Schmähung (αὐτὸ) handelt. Vielmehr fordert der Gegensatz zum folgenden den Sinn: ‚Ich würde eine solche grundlose Verläumdung mit Verachtung strafen; meinen Vater (?) aber zu vertheidigen (?) gebot mir die Pietät.“ Profecto si orator, cum φαῦλον αὐτὸν scriberetur, illud sibi voluisset, inepta esset oratio. Orator vero hoc sibi voluit: Theomnesto, si dixisset me suum ipsius patrem meis manibus interemisse, hanc (τῶν εἰρημένων) ignovissem iniuriam; nam eius patrem abiectum existimabam nec flocci faciebam — neque hanc (τῶν εἰρημένων) iniuriam actione instituta persecutus essem; nam quamvis tale quid iniuria et criminatio esset, quoniam ἀνδροφόνος appellarer, tamen mihi tale quid crimini verteretur, quod re vera non modo non crimen, sed praeclare factum esset, cum istius patrem abiectum existimarem nec flocci facerem. Qua in re silentio praetereundum non est verba φαῦλον αὐτὸν καὶ οὐδενὸς ἄξιον ad τὸν πατέρα τὸν ἑαυτοῦ relata bene recteque opposita esse verbis περὶ τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμαυτοῦ οὕτω πολλοῦ ἀξίου γεγενημένου καὶ ἡμῖν καὶ τῇ πόλει (§. 3). cf. Rauchenstein. in Fleckeisenii nov. annall. philoll. 93 p. 659. Nec minus αὐτὸν iure defendere et posse et debere nobis videmur, quod patrem Theomnesti hominem malum pravumque fuisse orator aliis quoque locis commemorat, ut §. 23: ἀλλ' ὅτι βελτίων καὶ ἐκ βελτιόνων ὁ φεύγων ἐμοῦ; ἀλλ' οὐδ' ἂν αὐτὸς ἀξιώσειεν, et §. 28: οὗ (i. e. τοῦ ἐμοῦ πατρὸς) ἔτι καὶ νῦν τῆς ἀρετῆς τὰ μνημεῖα πρὸς τοῖς ὑμετέροις ἱεροῖς ἀνάκειται, τὰ δὲ τούτου καὶ τοῦ τούτου πατρὸς τῆς κακίας πρὸς τοῖς τῶν πολεμίων· οὕτω σύμφυτος αὐτοῖς ἡ δειλία, et §. 29: καὶ μὲν δή, ἄνδρες δικασταί, ὅσῳ μείζους εἰσὶ καὶ νεανίαι τὰς ὄψεις, τοσούτῳ μᾶλλον ὀργῆς ἄξιοί εἰσιν· δῆλον γάρ, ὅτι τοῖς μὲν σώμασι δύνανται, τὰς δὲ ψυχὰς οὐκ ἔχουσιν. Denique Emperii coniecturam ideo admittere nolumus,

quod dura esset oratio, si neutrum singularis *αὐτὸ* referretur ad neutrum pluralis *τῶν εἰρημένων*. Nam apparet utroque verbo et *τῶν εἰρημένων* et *αὐτὸ* oratorem nihil aliud significasse nisi hoc: *εἰ μὲν τὸν ἑαυτοῦ (πατέρα) με ἀπεκτονέναι ᾐτιᾶτο*, et valde mirum esset, si tam celeriter eadem res neutro et pluralis et singularis significata esset.

Orat. XIII. §. 65—69.

Jam saepe a viris doctis difficilis quaestio tractata est, utrum verba paragraphorum 65 et 66 genuina essent an ab interpolatore quodam supposita, deinde, si illud conceditur, utrum suum obtinerent locum an in alium transferenda essent. Atque ne acta agamus, nobis non faciendum esse censemus, ut accuratius explicemus, quibus causis commoti viri docti has paragraphos Lysiae esse negaverint. Primus autem eas ab Lysia abiudicavit Hamackerus, cui astipulantur Scheibius in vindicc. Lysiacc. p. XV, Westermannus in disputatione illa de locis aliquot oratorum Atticorum interpolatione corruptis, Lipsiae 1859 p. 7, Kayserus in annall. Heidelberg. 59 p. 779, Blassius l. l. p. 560, Rauchensteinius in editionis adnotatione et appendice ad hunc locum. Id quidem illis viris doctis sine ulla dubitatione concedendum est *π ο λ λ ὰ τοίνυν* in initio §. 65 et *ὤ φ λ η σ ε ν* §. 66 tantam offensionem praebere, ut ferri non possint et emendanda sint, illud in *πάντα* (Frohbergerus), hoc autem in *ὦφλεν* vel *ὠφείλησεν* (quo verbo significatur Agoratum illam mulctam nondum solvisse ideoque etiamnunc debere). Ceterum assentimur Frohbergero et Sauppio (cf. huius disputatio de hoc loco in Rauchensteinii editionis appendice p. 259), qui has paragraphos Lysiae attribuunt. Ex argumentis vero, quae hi viri docti attulerunt, nescio an id gravissimum sit, quod egregiis rebus eorum, qui a triginta viris Agorato auctore interemti erant, enumeratis series tot et tantorum scelerum atque flagitiorum ab Agorato commissorum aptissime opponitur. Illis autem argumentis adicere velim inprimis hoc: Lysiae praecipue proprium est, quo iudicum animos magis commoveat commotosque ad reum condemnandum procliviores faciat, postquam quae de causa ipsa dicenda erant, exposuit, privatam rei vitam nonnullis lineis adumbrare et quam male ille privatim se gesserit, enarrare. Id oratorem fecisse vides exempli gratia in oratione XIV., in qua a §. 1 ad §. 15 de causa ipsa dicit et in insequentibus paragraphis de vita Alcibiadis privata affert turpissima quaedam et ab honesto homine alienissima. cf. XIV. §§. 25—27. Neque minus orator in clarissima illa adversus Eratosthenem oratione, cum accusationem, in qua versatur causa, perfecisset, quo in maiorem invidiam rei personam adduceret, vitam Eratosthenis civis, qualis ante dominationem triginta virorum fuisset, accuratius examinavit et, quo ingenio et quibus moribus reus esset, breviter exposuit. cf. XII. §§. 38 sqq. XXXI. §§. 20 sqq. Quae cum ita sint, tantum abesse mihi videtur, ut hae paragraphi a Lysia abiudicandae sint, ut optime in Lysiae dicendi rationem quadrent.

Neque vero Frohbergerus et Sauppius mihi persuaserunt illa verba eo, quo par est, loco in codicibus scripta legi. Nam offensioni est non solum ratio, qua Agorati fratres §. 65 commemorantur verbis his: *ὅσα κακὰ καὶ αἰσχρὰ καὶ τούτῳ καὶ τοῖς τούτου ἀδελφοῖς ἐ π ι τ ε τ ή δ ε υ τ α ι, πολὺ ἂν εἴη ἔργον λέγειν*, quoniam §§. 67 und 68 demum de Agorati fratribus accuratius agitur et, etiamsi a testibus nomina fratrum significata esse libenter agnoscimus, tamen plura de iis dicta

esse negamus, sed etiam paragraphis 65 et 66, si locum traditum servant, sententiarum connexus inepte intermittitur. Neque enim eum orationis ordinem probare possumus, quo orator a patre Agorati ad hunc filium describendum transit, deinde aliorum filiorum scelera flagitiaque et poenas, quas solverunt, exponit, denique ad Agoratum rediens eius personam adumbrare pergit. At omnia perbene fluere et aptissime inter se insequi apparet, si orator primum dicit de patre eiusque fratre, deinde de Agorati fratribus, ut reum, quo genere ortus sit et quibus cognatus, inde pessimum hominem esse verisimile sit, postremo ad Agorati vitam describendam aggressus demonstrat, qualem iste homo vitam privatam egerit, quomodo non solum ius civitatis iniuria sibi vindicaverit, sed etiam liberi civis iura in populi concionem descendendi et concionandi, iudicandi et accusandi exercuerit. cf. §. 73: *οὕτω μέντοι οὗτος πολὺ ὑμῶν καταφρονεῖ, ὥστε οὐκ ὢν Ἀθηναῖος καὶ ἐδίκαζε καὶ ἐξεκλησίαζε καὶ γραφὰς τὰς ἐξ ἀνθρώπων ἐγράφετο, ἐπιγραφόμενος Ἀναγυράσιος εἶναι.* Quare mihi hae paragraphi (65 et 66) post §. 69 ponendae videntur, quo facto sententiarum ordo non modo non intermittitur, sed potius bene restituitur. Nam paragraphum sexagesimam sextam, qua Agoratus, quamvis servus sit, cum liberis mulieribus stupra exercuisse dicitur, aptissime ea sequuntur, quibus Agoratus se civem esse probaturus (§. 70) fingitur. Accedit, quod verba *ἰδίᾳ εἰς ἕκαστον ὑμῶν* (§. 69), quae aliter nisi artificiose explicari non possunt, illis paragraphis transpositis ad criminationes illas iugiter factas et ad stupra illa (§§. 65 et 66) facillime referuntur atque intelleguntur.

Jam vero inquiramus in ea argumenta, quibus illas paragraphos transponere vetari videmur. Ac primum quidem, quominus id faciamus, non impedimur his paragraphi undeseptuagesimae verbis: *ἦ που τοῦ γε πολλὰ ἐξημαρτηκότας καὶ δημοσίᾳ εἰς τὴν πόλιν καὶ ἰδίᾳ εἰς ἕκαστον ὑμῶν, ὧν ἑκάστου ἁμαρτήματος ἐν τοῖς νόμοις θάνατος ἡ ζημία ἐστί, δεῖ ὑμᾶς σφόδρα θάνατον αὐτοῦ καταψηφίσασθαι;* Nam haec verba non tam ad ea, quae praecedunt, quam ad ea, quae sequuntur (§. 65 et 66), quibus illud *πολλὰ* accuratius explicatur, referenda sunt, id quod emergit ex verbis *καὶ ἰδίᾳ εἰς ἕκαστον ὑμῶν, ὧν ἑκάστου ἁμαρτήματος ἐν τοῖς νόμοις θάνατος ἡ ζημία ἐστίν.* Atque Rauchensteinium ad has paragraphos spurias probandas iure offendisse negamus in his paragraphi sexagesimae sextae verbis: *καὶ τούτου θάνατος ἡ ζημία ἐστίν*, cum post *ἐλήφθη μοιχὸς*, qua poena adulter afficiendus esset, commemorare ineptum esse diceret. Nam commemoratio huius poenae non modo aptissima, sed etiam paene necessaria est, ut, quoniam Agoratum criminationum iugiter factarum decem milibus drachmarum multatum esse orator modo dixit, huic mulctae poena illa capitalis accommodate opponatur. Ita fit, ut orator in hac oratione demonstrat Agoratum capitis damnandum esse, primum quod Dionysodorum interfecerit (§§. 1—61), deinde quod turpissimam vitam privatam egerit (§§. 62—69), denique quod iniuria civis iura sibi vindicaverit atque exercuerit (§. 70 sqq.). Neque silentio praeterire volo oratorem, cum multa rei in civitatem facinora et flagitia, quorum cuique supplicium legibus poena constituta est, enumeret, quamvis universe poenam iam significaverit (§§. 76, 78, 82, 84), tamen haec quoque singula Agorati crimina descripta breviter complectentem unumquodque eorum capitale esse satis definite exponere. cf. §. 91: *Ἐκ παντὸς δὲ τρόπου ἔμοι γε δοκεῖ οὐχ ἑνὸς θανάτου ἄξιος εἶναι, ὅστις φησὶ μὲν*

ὑπὸ τοῦ δήμου . . . , τὸν δὲ δῆμον, ὃν αὐτός φησι πατέρα αὑτοῦ εἶναι, φαίνεται κακώσας, καὶ ἀφεὶς καὶ προδούς, ἐξ ὧν ἐκεῖνος μείζων καὶ ἰσχυρότερος ἐγίγνετο. ὅστις οὖν τόν τε γόνῳ πατέρα τὸν αὑτοῦ ἔτυπτε καὶ οὐδὲν παρεῖχε τῶν ἐπιτηδείων, τὸν δὲ ποιητὸν πατέρα ἀφείλετο, ἃ ἦν ὑπάρχοντα ἐκείνῳ ἀγαθά, πῶς οὐ καὶ διὰ τοῦτο κατὰ τὸν τῆς κακώσεως νόμον ἄξιός ἐστι θανάτῳ ζημιωθῆναι;

Orat. XVIII. § 7.

> *Συνῄδεσαν γὰρ ἅπασιν αὐτοῖς ὑπὸ τῆς πόλεως τιμωμένοις, καὶ πολλαχοῦ μὲν ὑπὲρ ὑμῶν κεκινδυνευκόσι, μεγάλας δ' εἰςφορὰς εἰςενηνοχόσι καὶ λελειτουργηκόσι κάλλιστα, καὶ τῶν ἄλλων οὐδενὸς πώποτ' ἀποστᾶσιν, ὧν ἡ πόλις αὐτοῖς προςέταξεν, ἀλλὰ προθύμως λειτουργοῦσι.*

Verba *προθύμως λειτουργοῦσι* post *λελειτουργηκόσι κάλλιστα* nullo modo ferri nequeunt, quoniam pro praesenti tempore *λειτουργοῦσι* perfectum tempus usurpandum erat et idem vocabulum *λειτουργεῖν* ita paulo post repetitum nihil aliud est nisi inutilis, quam vocant, tautologia. Quare ea, sicut in codicibus exstant, corrupta esse quemquam esse nego, quin concedat. Quae cum ita sint, viri docti hunc locum multis variisque coniecturis vexaverunt. Ac primum quidem Dobraeus *λειτουργοῦσι* in *ὑπουργοῦσιν* Emperio et Hamackero probantibus (cf. Scheibii vindicc. Lysiacc. p. VIII.), Kayserus autem in *πεποιηκόσιν* mutaverunt. Sed languida esset haec enuntiati conclusio, nisi vocabulum aliquod, vel *πάντα* vel tale quid, adderetur. Et id quidem tenendum est vocabulo *λειτουργεῖν* ea munera publica, quae civi Atheniensi praestanda erant eaque in causis apud iudices agendis libenter a reis ostentantur, quam maxime proprie significari ideoque hoc vocabulum optime illum gravissimum oppositi locum in fine enuntiati obtinere. Quod nescio an Hirschigius et Scheibius senserint, cum *λελειτουργηκόσιν* ille quidem emendaret in *κεχορηγηκόσιν*, hic in *τετριηραρχηκόσιν*, uterque autem *λειτουργοῦσιν* in perfectum *λελειτουργηκόσι*. Sed vide, quam parum accommodata sententia hoc modo evadat. Verbis enim ita emendatis orator in enumerandis iis rebus, quibus familia Eucratis de Atheniensium republica bene merita est, primum unum leiturgiarum genus (*τριηραρχία* vel *χορηγία*) affirmative, deinde omnes leiturgias negative (*καὶ τῶν ἄλλων οὐδενὸς — προςέταξεν*), denique easdem leiturgias iterum affirmative significavisset. Si autem emendatio *τετριηραρχηκόσι κάλλιστα* — quae verba, quoniam gravissimum et summum leiturgiarum genus significatur, magis apta sunt quam *κεχορηγηκόσι κάλλιστα* — genuina esset lectio, certe haec verba non illo loco collocanda erant, sed ita fere: *μεγάλας δ' εἰςφορὰς εἰςενηνοχόσι καὶ τῶν ἄλλων οὐδενὸς πώποτ' ἀποστᾶσιν, ὧν ἡ πόλις αὐτοῖς προςέταξεν, ἀλλὰ τετριηραρχηκόσι κάλλιστα καὶ* (= et omnino) *λελειτουργηκόσι προθύμως.*

At ego quidem suspicor librarium quemdam *λελειτουργηκόσι κάλλιστα*, quae verba post *ἀλλὰ* posita fuisse puto, quae autem librarius ad sententiam *καὶ τῶν ἄλλων οὐδενὸς — προςέταξεν* explicandam in margine scripta invenit, cum verba *εἰςφορὰς εἰςφέρειν* et *λειτουργεῖν* saepe coniungi soleant, in iis, quae praecedunt, posuisse, quod hoc modo ea, quae reipublicae Eucrates eiusque familia praestiterunt, melius se subsequi iudicabat, repetisse autem eundem librarium post

ἀλλὰ eiusdem verbi *λειτουργεῖν* participium praesentis, cum enuntiatum negativum (*καὶ τῶν ἄλλων οὐδενὸς πώποτ' ἀποστᾶσιν, ὧν ἡ πόλις αὐτοῖς προςέταξεν*) opposito carere non posse videretur. Itaque ego quidem scribendum esse censeo *μεγάλας δ' εἰςφορὰς εἰςενηνοχόσι καὶ — τῶν ἄλλων οὐδενὸς πώποτ' ἀποστᾶσιν, ὧν ἡ πόλις αὐτοῖς προςέταξεν, ἀλλὰ λελειτουργηκόσι κάλλιστα καὶ προθύμως*, ita ut cum vi quadam dicatur illos non modo leiturgias non detrectavisse, sed praestitisse pulcherrime et libenter.

Orat. XXVII. §. 3.

Καίτοι τίνα χρὴ ἐλπίδα ἔχειν τῆς σωτηρίας, ὁπόταν ἐν χρήμασιν ᾖ καὶ σωθῆναι τὴν πόλιν καὶ μή.

Verba *τὴν πόλιν* ex emendatione Scheibii profecta sunt, qui dativum *τῇ πόλει*, qui in libris manu scriptis exstat, in accusativum correxit. Sed mihi nec hoc nec illud ferri posse videtur, quod utraque lectione, et tradita et a Scheibio proposita, non apta sententia efficitur. Dativus enim *τῇ πόλει* aliter explicari non potest nisi „pro salute civitatis", id quod dicere arrogantis esset, accusativus autem *τὴν πόλιν* ita, ut respublica ipsa in summum vocari discrimen dicatur, id quod nusquam in hac oratione nisi hoc loco significaretur. Praeterea si Scheibium secutus legeres: *ὁπόταν ἐν χρήμασιν ᾖ καὶ σωθῆναι τὴν πόλιν καὶ μή*, non intellegerem, quid sibi vellet haec sententia, quam Bauerus (cf. Die erhaltenen Reden des Lysias übersetzt von Bauer, Stuttgart 1856) ita germanice reddidit: „Welche Hoffnung auf ferneres Wohlergehen der Stadt darf man aber haben, wenn die Existenz derselben auf dem Gelde beruht und dieses diese hier stehlen?" Profecto inepta est haec sententia, quoniam salus reipublicae non in pecunia, sed in civibus posita est. Id potius sibi voluisse orator videtur: Quam spem salutis quisquam etiamnunc habere potest, si salus accusati in pecunia ac non in civitate i. e. in civitatis iudicibus posita est, pecuniam autem ii, qui magistratibus praesunt, auferunt? Quare verba mihi ita emendanda videntur: *καὶ τίνα χρὴ ἐλπίδα ἔχειν τῆς σωτηρίας, ὁπόταν ἐν χρήμασιν ᾖ τὸ σωθῆναι καὶ μὴ ἐν τῇ πόλει;*

Orat. XXVII. §. 4.

Καὶ ὑμῖν ἔχω ἐπικαλέσαι, ὅτι τοῦ αὐτοῦ ἀδικήματος Ὀνομάσαντος (?) μὲν κατεψηφίσασθε, τούτου δὲ ἀπεψηφίσασθε, τοῦ αὐτοῦ ἀνδρὸς ἁπάντων κατηγοροῦντος καὶ τῶν αὐτῶν καταμαρτυρούντων, οἳ οὐχ ἑτέρων ἤκουσαν, ἀλλ' αὐτοὶ ἦσαν οἱ περὶ τῶν χρημάτων καὶ τῶν δώρων πρὸς τούτους πράττοντες.

Id satis constat *τούτου* et *ἁπάντων* una ferri non posse et uni alterive verbo adhibendum esse emendationem. Quare iam Schottus *ἁπάντων* in *ἀμφοῖν* mutandum esse censuit, „quod aut ipsum aut simpliciter *αὐτῶν*" se velle Scheibius in praefatione critica editionis suae p. LXI profitetur. Attamen editores in textum, qui vocatur, neutram coniecturam receperunt. Et P. R. Muellerus (cf. eius Beiträge zur Kritik des Lysias, Merseburg 1862, p. 13) *τούτου*, quod depravatum esse existimat, in *τούτων* corrigendum proposuit his verbis: „Soviel scheint mir aus dem Inhalte dieser Nachrede hervorzugehen, dass dieselbe nicht, wie man bisher angenommen hat, gegen den Epicrates und die mit ihm Angeklagten gerichtet ist, sondern bloss gegen die Letzteren. Epicrates

Schuld wird als vollständig erwiesen betrachtet (§. 1), dann wendet sich der Redner gleich zu den Mitschuldigen, von denen die ganze Rede handelt; er bittet nirgends (?), den Epicrates zu verurtheilen, sondern stets die mit ihm Angeklagten.“ Sed quaeritur, num re vera orator in hoc epilogo, quem dicunt, illud sibi proposuerit, ut non Epicrates, sed ii soli, qui cum eo rei facti erant, a iudicibus condemnarentur. Etsi id viro illi docto libenter concedimus huius epilogi textum, sicut in codicibus invenitur, multis vitiis laborare neque pauca esse, quae manus emendatricis indigeant, tamen quos locos attulit (§. 6 *παρὰ τούτων δίκην λαβόντες*, §. 7 *ὥστ' εἰ μὲν ἀποψηφιεῖσθε τούτων* et *παρὰ τ ο ύ τ ω ν δίκην εἰληφότες ἔσεσθε*. §. 8 *οὐκ ἂν ἀκρίτους α ὐ τ ο ὺ ς ἀπολωλέναι*), nusquam eam reorum significationem invenies, ex qua haud dubie emergat Epicratem ipsum in illo reorum numero non fuisse. Neque enim quidquam impedit, quominus eum ipsum quoque cum sociis vocabulo *τούτων* vel *αὐτοὺς* intellegi arbitremur. Immo vero, etiamsi non dubitandum est, quin verba *καὶ τῶν σ υ μ π ρ ε σ β ε υ τ ῶ ν* (§. 1) spuria sint et eicienda, tamen suspicari licet iisdem verbis insertis, quo loco nunc in codicibus leguntur, alia verba excidisse. Quae autem illa verba fuerint, utrum *καὶ τῶν συμποριστῶν*, quam coniecturam Falckius proposuerat, an *συμφευγόντων* vel *συμπραττόντων* vel quae sunt similia, nunc quidem discerni non potest. Certe iis verbis, quae exciderunt, reos accuratius significatos esse simile veri est. Ita fit, ut hic epilogus inprimis adversus Epicratem dictus sit (cf. Blass. l. l. p. 445 sqq), id quod luce clarius emergere videtur ex his verbis paragraphi primae: *Κατηγόρηται μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Ἐπικράτους κ α ὶ τῶν συμ...*· et paragraphi sextae decimae: *νῦν τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, καταψηφισάμενοι Ἐ π ι κ ρ ά τ ο υ ς τῶν ἐσχάτων τιμήσατε.* At hoc posteriore loco idem Muellerus *Ἐπικράτους* nomen ut ab interpolatore quodam additum eiecit, quo nomine servato tota illa, quam proposuit, sententia prorsus refellitur.

Quo magis autem nomen *Ἐπικράτους* (§. 16) suspiciosum sit, hanc orationem ab interpolationibus non liberam esse illo uno argumento comprobare studet, quo verba *ἢ νῦν εἰσι* (§. 7) et ipsa interpolata esse Rauchensteinio assentiente affirmat. cf. P. R. Muelleri Beiträge zur Kritik des Lysias, Merseburg 1862, p. 14 et eiusdem viri docti disputationis de emendandis aliquot Lysiae locis, Halle (Rossleben) 1858, p. 5. Et recte quidem verba *ἢ νῦν εἰσι* (§. 7), quoniam sine dubio supervacanea sunt et aliis locis similibus, quos attulit vir ille doctus, non leguntur, haud dubie delenda sunt. At haec interpolatio longe alius generis est, quam si nomen Epicratis interpolatum esse statuitur. Illud enim additamentum languidum et supervacaneum est, id quod de hoc nomine dici non potest. Quae cum ita sint, a P. R. Muellero dissentimus dicente oratorem id sibi propositum habuisse, ut hoc epilogo non Epicrates, sed socii eius accusarentur et condemnarentur. Nam loci illi, quibus illud demonstravisse sibi visus est (§§. 6, 7, 8), ita explicandi sunt, ut accusatio Epicratis ad eius socios quoque referenda sit.

Itaque illis locis a Muellero allatis socii rei pro reo ipso nominantur. Idem a Lysiae factum esse vides in clarissima illa adversus Eratosthenem oratione, in qua, quamvis orator unum illum Eratosthenem accusaret postularetque, ut capitis damnaretur, tamen ceteri quoque triginta viri rei facti sunt. Id autem Lysias fecit, ut scelera criminaque Eratosthenis, cui etiam collegarum crimina attribuuntur (exempli gratia Lysias de Eratosthene s o l o dicit XII. 22 *καὶ εἰς τοσοῦτόν*

εἰσι τόλμης ἀφιγμένοι, ὥσθ' ἥκουσιν ἀπολογησόμενοι καὶ λέγουσιν, ὡς οὐδὲν κακὸν οὐδ' αἰσχρὸν εἰργασμένοι εἰσὶν), in maius iudicum odium vocentur. Quod quam verum sit, ut intellegas, praeter alios locos conferas velim XII. 1 *τοιαῦτα αὐτοῖς τὸ μέγεθος καὶ τοσαῦτα τὸ πλῆθος εἴργασται*, XII. 2 *νυνὶ δὲ παρὰ τῶν φευγόντων χρὴ πυνθάνεσθαι, ἥτις ἦν αὐτοῖς πρὸς τὴν πόλιν ἔχθρα, ἀνθ' οὗ ταῦτα ἐτόλμησαν*, XII. 28 *αὐτοὺς δὲ τοὺς τριάκοντα, ἂν εἰς σφᾶς αὐτοὺς ἀναφέρωσι* (*τὴν αἰτίαν*), *πῶς εἰκὸς ὑμᾶς ἀποδέχεσθαι;* XII. 37 *ταύτην γὰρ ἐσχάτην δίκην δυνάμεθα παρ' αὐτῶν λαβεῖν*, XII. 90 *εἰ μὲν γὰρ τούτου καταψηφιεῖσθε*, XII. 91 *ὥστε συμβουλεύω μὴ τούτων ἀποψηφισαμένους ὑμῶν αὐτῶν καταψηφίσασθαι.*

Quare mihi quidem orator, postquam ii, qui ante eum dixerunt, culpam rei satis demonstraverunt, hoc epilogo id agere videtur, ut non socii soli, sed Epicrates ipse condemnetur, qui quodam modo princeps ceterorum est. Nam Epicrate largitionis et peculatus condemnato socii eius quoque condemnati videbantur. Itaque nomen Epicratis in paragrapho sexta decima delere nolumus, praesertim cum, eo deleto, in peroratione imperativus *τιμήσατε*, quamvis ad hunc idem nomen *Ἐπικράτους* per participium *καταψηφισάμενοι* pertineat, omni obiecto careret nec rei ipsi satis definite significarentur. Itaque Muelleri coniecturam *τούτων* (§. 4) non admittendam esse nobis videmur probavisse. —

Ut vero ipsi medicinam huic loco adhibeamus, aut *ἅμ' αὐτῶν* pro *ἁπάντων* legendum censemus aut *ἁπάντων* in insequentem versum post vocabula *τῶν αὐτῶν* transferendum proponimus. Utraque autem nostra coniectura evadit bona sententia atque illa quidem emendatione *ἅμ' αὐτῶν* haec: „eo magis vos vitupero, quod Onomasantem (?) damnavistis, absolvistis Epicratem, quamquam ambo ab eodem homine una i. e. eadem oratione accusabantur, iidemque contra utrumque existebant testes", hac autem *ἁπάντων* genetivi transpositione haec: „eo magis vos vitupero, quod Onomasantem (?) eiusdem criminis condemnavistis, liberavistis Epicratem, quamvis idem (utrumque) accusaret iidemque testes omnes ad unum contra utrumque existerent."

Orat. XXXI. §. 20.

Οὐ τοίνυν ἔγωγε οἶδα, ὅτι ὑμᾶς διαφερόντως δεῖ γιγνώσκειν περὶ αὐτοῦ ἢ οἱ οἰκεῖοι γιγνώσκουσι· τοιαῦτα γάρ ἐστιν, ὥστ' εἰ καὶ μηδὲν αὐτῷ ἄλλο ἡμάρτητο, διὰ μόνα ταῦτα δίκαιον εἶναι ἀποδοκιμασθῆναι· οἷα μὲν οὖν ζῶσα ἡ μήτηρ αὐτοῦ κατηγόρει, παρήσω· ἐξ ὧν δὲ τελευτῶσα τὸν βίον διεπράξατο τεκμαιρομένοις ῥᾴδιόν ἐστιν ὑμῖν γνῶναι, ὁποῖός τις ἦν περὶ αὐτήν.

His in verbis nec pronomen *τοιαῦτα* nec particula *γὰρ* satis explicari possunt. Et cum Rauchensteinius quidem loci difficultatem praetervolet et *τοιαῦτα* his paucis verbis interpretetur: „*τοιαῦτα*, sein Benehmen gegen die *οἰκεῖοι*", Frohbergerus observavit haec: „*Τοιαῦτα γάρ ἐστιν*: Was? Man möchte annehmen, es seien ein paar Worte wie *τὰ περὶ τούτους αὐτοῦ ἠσεβημένα* o. dergl. ausgefallen; *διὰ μόνα ταῦτα* erhält erst dadurch eine logisch und formell richtige Beziehung." Omnis vero loci difficultas facile removetur verbis, quae sequuntur: *οἷα μὲν οὖν ζῶσα ἡ μήτηρ αὐτοῦ κατηγόρει, παρήσω* ante *τοιαῦτα* positis. Quod si factum est, oratio non verbis *τοιαῦτα γὰρ*

sed *τοιαῦτα δὲ* continuanda est et enuntiatum *τοιαῦτα δ' ἐστὶν, ὥστ' εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο αὐτῷ ἡμάρτητο, διὰ μόνα ταῦτα δίκαιον εἶναι ἀποδοκιμασθῆναι* parentheos loco habendum est. cf. Frohbergeri et Rauchensteinii adnotationes ad XII. §. 68. Facillime autem particulas *γὰρ* et *δὲ* inter se mutari posse, cum utraque particula simili compendio *γὰρ* per *γδ* et *δὲ* per *δ* scriberetur, Frohbergerus in appendice tom. I. p. 227 §. 31 docet nec minus illas particulas saepissime inter se mutatas esse constat. Enuntiatorum vero collocatione, quam proposuimus, bonus sententiarum connexus restituitur omniaque egregie fluunt.

III.

Quoniam in iis, quae disputavimus, locos quosdam Lysiae corruptos verbis nonnullis vel enuntiatis transpositis sanare conati sumus, iam nobis in animo est aliis locis medicinam adhibere alia emendandi vel interpretandi ratione, quam quae adhuc a viris doctis inita est.

Talis autem locus corruptissimus, a viris doctis iam saepe tractatus et vexatus, invenitur in

Orat. IV. §. 13,

ubi haec in codicibus leguntur:

> *ἢ δεινόν γε· εἰ εἰς μὲν λύσιν τοῦ σώματος ἔδωκα τὸ ἀργύριον ἐκ τῶν πολεμίων, ἐξῆν ἄν μοι χρῆσθαι αὐτῇ, ὅ τι ἐβουλόμην, κινδυνεύοντι δέ μοι περὶ τῆς πατρίδος οὐδὲ πυθέσθαι παρ' αὐτῆς τἀληθῆ ἐκγενήσεται, περὶ ὧν εἰς τὴν κρίσιν καθέστηκα;*

Mendum quoddam in verbis *εἰ εἰς μὲν λύσιν τοῦ σώματος ἔδωκα τὸ ἀργύριον ἐκ τῶν πολεμίων* subesse haud dubie demonstravit P. R. Muellerus in dissertatione de emendandis aliquot locis in Lysiae orationibus, Rossleben (Halle) 1858 p. 3. Etiamsi autem cum hoc viro docto non consentimus, cum dicit verba *εἰ εἰς μὲν λύσιν τοῦ σώματος ἔδωκα τὸ ἀργύριον ἐκ τῶν πολεμίων* ad nihil aliud nisi ad corpus servae ex hostium potestate redimendum referenda esse — id quod iam iudicavit Dobraeus, contra quem iure disputavit Scheibius in vindicc. Lysiacc. p. XI. — neque ad corpus oratoris accusati pertinere posse, cum ex altero enuntiati membro opposito (*κινδυνεύοντι δέ μοι περὶ τῆς πατρίδος*) haec verba necessario ad corpus rei ipsius spectare emergat, tamen id recte demonstravit vir ille doctus verbum *ἔδωκα* nullo modo ferri posse. Nam utut intellegis sententiam, sive verba *εἰς λύσιν τοῦ σώματος* refers ad reum redimendum sive ad servam, omni sensu caret hic aoristus. Neque enim minus ineptum est de serva hunc aoristum dicere, cum totum pretium servae non solus dederit reus, quam de reo ipso, cum non intellegatur, cur servam vendat (*ἐξῆν ἄν μοι χρῆσθαι αὐτῇ ὅτι ἐβουλόμην*), quandoquidem pecuniam ad corpus suum redimendum iam comparaverit et solverit, id quod aoristo *ἔδωκα* significatur. Itaque Kayseri coniectura, quam in Philoll. XI. p. 158 proposuit: *εἰ* (?) *εἰς μὲν λύσιν τοῦ σώματος ἐκ τῶν πολεμίων δεδωκότι ἀργύριον,* non admittenda est, quoniam participium *δεδωκότι* non explicandum est nec verbis *εἰ ἔδωκα* vel *ἐδεδώκειν* nec verbis *εἰ* vel *ὅτε* vel *ὅτι δέδωκα.* Sed ne verba *ἐκ τῶν πολεμίων* quidem eo loco, quo in codicibus exstant, cum *εἰς λύσιν τοῦ σώματος* pertineant, recte collocata sunt; erant

enim, quod Kayserus recte fecit, post *τοῦ σώματος* ponenda. At certe sententia, quae desideratur, haec est: ‚Si ego ab hostibus captus essem, unde mihi pretium libertatis vindicandae compararem, mihi servam vendere liceret; quare grave atque inauditum est nunc mihi de patria periclitandi non licere de illa tormentis quaeri ea, propter quae in hoc periculo versor'. cf. §. 13 *καὶ μὲν δὴ πολὺ ἂν δικαιότερον ἐπὶ ταύτῃ τῇ αἰτίᾳ βασανισθείη ἢ ἐπὶ τῇ ἐκ τῶν πολεμίων λύσει πραθείη.* Quae sententia ut evaderet, Hamackerus in quaestionn. de nonnullis Lysiae orationibus p. 8, verbis *εἰ* et *ἔδωκα τὸ ἀργύριον* eiectis, Rauchensteinio probante (cf. Fleckeisenii nov. annall. philoll. 81 p. 326 sq.), locum ita restituendum censuit: *ἦ δεινόν γε· εἰς μὲν λύσιν τοῦ σώματος ἐκ τῶν πολεμίων ἐξῆν ἄν μοι χρῆσθαι αὐτῇ, ὅτι ἐβουλόμην.* Muellerus autem l. l. p. 4 scribendum proposuit: *ἦ δεινόν γε· εἰς μὲν λύσιν τοῦ σώματος ἐκ τῶν πολεμίων δεομένῳ ἀργυρίου ἐξῆν ἄν μοι χρῆσθαι αὐτῇ ὅτι ἐβουλόμην.* Neque dubium est, quin hac utraque coniectura, et Hamackeri et Muelleri, ea quam volumus, sententia efficiatur; attamen ut nihil facilius esse iudico, quam cum Hamackero dummodo sententia servetur, quae verba explicari non possunt, ea delere, ita Muelleri coniectura ego quidem existimo textui, qui vocatur, iusto maiorem vim inferri.

Quare cum mihi quoque item ac Westermanno (cf. praefat. edit. p. XX.) „verba *ἐκ τῶν πολεμίων* glossam sapere" videantur, quo glossemate textui illato quae Lysias scripsit, ea remota esse puto, ego legendum propono: *Ἦ δεινόν γε· εἰ εἰς μὲν λύσιν τοῦ σώματος ἔδει λαβεῖν τὸ ἀργύριον ἐκ τῶν ἐμῶν, ἐξῆν ἄν μοι χρῆσθαι αὐτῇ ὅτι ἐβουλόμην.* „Grave atque inauditum est, nam si ad corpus meum redimendum opus esset pretium compositum vel necessarium (*τὸ ἀργύριον*) ex bonis meis mihi comparare" cet. Mihi enim simile veri est librarium, qui *ἔδει λαβεῖν* in simplicius quidem, sed falsum *ἔδωκα* depravabat, verba *ἐκ τῶν ἐμῶν*, quid sibi vellent, non intellexisse et cum glossemate *ἐκ τῶν πολεμίων* mutasse, quod ad verba *εἰς λύσιν τοῦ σώματος* explicanda in margine adscriptum fuisse arbitror. Sed ut Hamackeri coniectura (cf. Rauchenst. in Fleckeisenii nov. annall. philoll. l. l.) loci perspicuitas augetur atque enuntiata bene sibi opponuntur, ut Muelleri coniectura concinnitas membrorum accuratius restituitur: ita non minus recte Scheibius in vindicc. Lysiacc. p. IX. eundem Hamackerum demonstrat saepe erravisse „in eo, quod oratorem a dictione regulis cogitandi adstricta numquam digredi liberiusque, ne dicam neglegentius loqui passus est; in quo tenendum Lysiam non verborum iudicibus orationes scripsisse, sed reis et accusatoribus apud veros iudices causas acturis." Lysiam vero enuntiatum coniunctionale et participium sibi respondere voluisse invenies exempli causa XII. 40 *οὐδὲ Λακεδαιμονίων προσταττόντων, ἀλλ' ὅτι ἐνόμιζον.* — Restat, ut commemoremus particulam *ἂν*, verbo *ἐξῆν* additam, fuisse, qui censerent delendam esse. Quod iniuria illos voluisse ut intellegas, cogites velim tempus praeteritum *ἐξῆν* opponi tempori futuro *ἐκγενήσεται*; quod si fit, particulam *ἂν* imperfectis *ἔδει, ἐξῆν, ἐχρῆν, κρεῖττον* vel *κάλλιον* vel *ἄμεινον ἦν, καλῶς εἶχεν*, quaeque sunt similia, addendam esse docent Kruegerus gramm. graec. §. 53, 2. 7, Frohbergerus in appendice edit. I. p. 211 §. 48, Rauchensteinius ad Lys. or. XII. 48 et 52.

Orat. VII. §. 34.

Μάρτυρας γὰρ ἔχων αὐτῷ προςῆλθον, λέγων ὅτι μοι πάντες εἰσὶν οἱ θεράποντες, οὓς ἐκεκτήμην ἐπειδὴ παρέλαβον τὸ χωρίον, καὶ ἕτοιμός εἰμι, εἴ τινα βούλοιτο, παραδοῦναι βασανίζειν, ἡγούμενος οὕτως ἂν τὸν ἔλεγχον ἰσχυρότερον γενέσθαι τῶν τούτου λόγων καὶ τῶν ἔργων τῶν ἐμῶν.

Ita Rauchensteinius, coniecturis Reiskii *γὰρ ἔχων* et Scheibii *εἰμι* usus, iure haec verba restituit. cf. Scheibii vindicc. Lysiacc. p. 27 sq. et quae Rauchensteinius disputavit in Fleckeisenii nov. annall. philoll. 81 p. 747 sq. Rauchensteinius autem, vir ille doctissimus, quamvis de Lysiae et textu constituendo et interpretatione exercenda optime meritus sit, tamen vereor, ut probanda sint, quae de constructione genetivorum *τῶν τούτου λόγων καὶ τῶν ἔργων τῶν ἐμῶν* in editione sua hoc modo adnotavit: „Die Genetive *τῶν λόγων* und *τῶν ἔργων* hängen nicht vom Comparativ ab, sondern von *ἔλεχγον*, nämlich *τῶν τούτου λόγων*, dass sie falsch sind, und *τῶν ἐμῶν ἔργων*, dass sie so sind, wie ich sage.“ Hanc vero constructionem, cui ipsa collocatio verborum repugnare videtur — expectares enim *τὸν ἔλεγχον τῶν τούτου λόγων καὶ τῶν ἔργων τῶν ἐμῶν ἰσχυρότερον γενέσθαι* — durissimam esse nemo est quin videat. Qui genetivi si obiectivi, qui vocantur, intelleguntur, in priore esset notio praepositionis *κατὰ* (*τῶν λόγων*), in posteriore notio contraria praepositionis *ὑπὲρ* (*τῶν ἔργων*); si autem subiectivi, idem verbum *ἔλεγχος* in contraria notione et refutationis et comprobationis usurpatum esset. Quare Scheibius (cf. vindicc. Lysiacc. l. l.) fieri non posse iudicavit, ut quisquam, „qui haec legeret, genetivos *τῶν τούτου λόγων* et *τῶν ἔργων τῶν ἐμῶν* cum vocabulo *ἔλεγχον* coniungeret.“ Itaque mihi videtur uterque genetivus ad comparativum *ἰσχυρότερον* referendus esse ita, ut haec evadat sententia: arbitratus hanc probationem fortiorem esse futuram quam et istius s e r m o n e s et eas r e s, quas oratione mea comprobavi („indem ich glaubte, dass so, nämlich durch Folterung meiner Sclaven, der Beweis zuverlässiger sein würde als seine, des Gegners R e d e n und die von mir vorgebrachten T h a t s a c h e n“). Quodsi locus ita explicatur, non intellego, quid in hac interpretatione sit offensionis, neque cur vocabulum *ἔργων* cum Scheibio l. l. p. 28 in *ἐχθρῶν* mutandum sit.

Similiter in eiusdem orationis septimae §. 38 de interpretatione verborum *ἐνθυμεῖσθαι δὲ χρή, ὦ βουλή, ποτέροις χρὴ πιστεύειν μᾶλλον, οἷς πολλοὶ μεμαρτυρήκασιν ἢ ᾧ μηδεὶς τετόλμηκεν* ab eodem Rauchensteinio dissentimus, qui dativos illos *οἷς* et *ᾧ* his verbis explicat: „*οἷς*, wie wenn er statt seiner eine Classe bezeichnete und um den Gegensatz auszuzeichnen, da er mit *ᾧ*, speciell den Gegner meint.“ Qua in interpretatione id artificiosius dictum esse mihi quidem videtur plurali *οἷς* genus quoddam hominum pro reo ipso appellari, praesertim cum neque in iis, quae praecedunt, neque in iis, quae insequuntur, reus ipse pluralis numeri forma significetur, sed ubique singularis numeri formis pronominis personalis primae personae. cf. §§. 37, 38, 39. Quae cum ita sint, dativos *ποτέροις, οἷς, ᾧ* non masculini, sed neutrius generis esse suspicari licet. Pluralis enim numero *οἷς* multa illa testimonia (*βάσανοι, μάρτυρες, τεκμήρια* §. 37) et res ab oratore gestae (*λειτουργίαι* §. 31), quibus se truncum oleae sacrae exstirpasse refutavit, significantur, singulari autem numero *ᾧ* indicatur unum illud Nicomachi, quo agricolam reum id fecisse non probavit, sed

dixit tantum. Ita fit, ut *οἷς* pro *τούτοις ἃ* et *ᾧ* pro *τούτῳ ὅ*, quae attractio pronominis relativi usitatissima est, posita sint. Haec autem interpretatio eo probabilior est, quod nihil refert, num multi testes exstiterint, sed quae probaverint. Ceterum nescio an, quo maiorem inter se habeant concinnitatem ea, quae insequuntur, enuntiata interrogativa, *πότερον* pro *ποτέροις* scribendum sit. Nam facile fieri potuit, ut librarius quidam hoc *ποτέροις* scriberet propter eum, qui insequitur, dativum pluralis *οἷς*. Quodsi *πότερον* emendatum erit, egregie sibi respondebunt singula enuntiata interrogativa: *ἐνθυμεῖσθαι δὲ χρή, ὦ βουλή, πότερον χρὴ πιστεύειν μᾶλλον οἷς πολλοὶ μεμαρτυρήκασιν ἢ ᾧ μηδεὶς τετόλμηκε καὶ πότερον εἰκὸς μᾶλλον τοῦτον ἀκινδύνως ψεύδεσθαι ἢ μετὰ τοσούτου κινδύνου τοιοῦτον ἐμὲ ἔργον ἐργάσασθαι καὶ πότερον οἴεσθε αὐτὸν ὑπὲρ τῆς πόλεως βοηθεῖν ἢ συκοφαντοῦντα αἰτιᾶσθαι;*

Orat. VIII. §. 1.

Πάρεισι μὲν γὰρ οἷς ἐπεγκαλῶ, πάρεισι δὲ ὧν ἐναντίον ἐπιθυμῶ μέμψασθαι τοῖς ἀδικοῦσιν ἐμέ. καίτοι πολλῷ πλείων ἐστὶ σπουδὴ πρὸς τοὺς παρόντας· τοὺς μὲν γὰρ οὐδὲν οἶμαι τιμήσειν, εἰ τοῖς ἐπιτηδείοις ἀνεπιτήδειοι δόξουσιν εἶναι (τὴν γὰρ ἀρχὴν οὐδ' ἂν ἐπεχείρουν ἐξαμαρτάνειν εἰς ἐμέ), τοῖς δὲ βουλοίμην ἂν δόξαι μηδὲν ἀδικῶν τούτους ὑπὸ τούτων ἀδικεῖσθαι πρότερον.

Verbis *πρὸς τοὺς παρόντας* non alii intellegi possunt quam qui modo verbis et *πάρεισι μὲν οἷς ἐπεγκαλῶ* et *πάρεισι δὲ ὧν ἐναντίον ἐπιθυμῶ μέμψασθαι τοῖς ἀδικοῦσιν ἐμέ* significati sunt. Ea vero sententia quin absurda sit, dubitandum non est. Nam ex iis, quae subsequuntur, colligendum est verba *πρὸς τοὺς παρόντας* non tam ad illos, quorum, utrum amicis iniuriam intulerint necne, nihil interesse orator dicit, quam ad hos pertinere, apud quos, cum forte audientes adsint, ipse homines illos, quam malevoli et fallaces amici sint, accuratius descripturus est. Quare recte mihi facere videor, ut legendum proponam: *καίτοι πολλῷ πλείων ἐστὶ σπουδὴ πρὸς τούτους τοὺς παρόντας*, quo pronomine *τούτους* addito tota sententia aperta atque manifesta est.

Orat. XIII. §§. 29, 30.

Ἐπειδὴ τοίνυν τοῦτο τὸ ψήφισμα ἐψηφίσθη καὶ ἦλθον οἱ ἐκ τῆς βουλῆς Μουνυχίαζε, ἑκὼν ἀνέστη Ἀγόρατος ἀπὸ τοῦ βωμοῦ. καίτοι νῦν γε βίᾳ φησὶν ἀφαιρεθῆναι. ἐπειδὴ δὲ εἰς τὴν βουλὴν ἐκομίσθησαν, ἀπογράφει Ἀγόρατος πρῶτον μὲν τῶν αὐτοῦ ἐγγυητῶν τὰ ὀνόματα, ἔπειτα τῶν στρατηγῶν καὶ τῶν ταξιάρχων κτλ.

In plurali numero verbi *ἐκομίσθησαν*, sicut in omnibus codicibus legitur, nonnulli viri docti ita offenderunt, ut *ἐκομίσθη* scribere vellent, quam coniecturam primus Marcklandus proposuit. Contra quam, quae Scheibius (cf. lectionn. Lysiacc. l. l. p. 353) dixit: „si recte se haberet singularis numerus *ἐκομίσθη*, non in apodosi demum positum esset nomen *Ἀγόρατος*, sed iam in protasi", non magis recte se habere quam ea, quibus idem vir doctus plurali numero *ἐκομίσθησαν* praeter Agoratum ipsum strategos taxiarchosque intellegendos esse existimavit, Westermannus in quaest. Lysiacc. partic. I. p. 8 dilucide ostendit. Quare Frohbergerus et Rauchensteinius aliam

interpretandi viam ingressi pluralem numerum *ἐκομίσθησαν* rettulerunt ad Agoratum et ad Xenophontem Hippiamque, quos et ipsos Theocriti indicio comprehensos et in senatum (*βουλὴν*) ductos esse putant (§. 54). Qui quomodo comprehenderentur, cum nihil referret, id oratorem hoc loco non accuratius narravisse dicunt, nomina autem eorum in senatusconsulto illo, quod modo (§. 22) recitatum esset, pronuntiata fuisse. Sed quid artificiosius est hac interpretatione, qua subiectum et ex iis, quae desunt, et ex iis, quae multo post orator dicit, mente addendum est? Accedit, quod opportunissima fuit occasio Agorati castigandi et coarguendi, si orator diversam rationem, quam illi, cum comprehenderentur et abducerentur, prae se tulissent, cum Agorato compararet culpamque eius, quippe qui non invitus comprehenderetur, luce clarius ostenderet. Qua de causa cum illis viris doctis non consentimus pluralem numerum *ἐκομίσθησαν* ad Agoratum et Xenophontem Hippiamque referendum esse, sed verbo *ἐκομίσθησαν*, cum hoc loco non tam in passiva, quam intransitiva notione (cf. Kruegeri gramm. graec. §. 52, 6, 2) usurpatum esse existimemus, Agoratum et eos, qui ex senatu venerant (*οἱ ἐκ τῆς βουλῆς*), indicatos esse volumus. Itaque verbum *ἐκομίσθησαν* non explicamus: „cum autem in senatum ii, quae comprehensi erant, adducerentur“, sed hoc modo interpretamur: „cum autem illi, qui ex senatu (*οἱ ἐκ τῆς βουλῆς* §. 29) Munychiam venerant, cum Agorato comprehenso in senatum redissent, Agoratus detulit primum vadum suorum nomina, deinde strategorum atque taxiarchorum cet. Notionem autem proficiscendi vel eundi vel redeundi in passivo *κομίζεσθαι* inesse apparet ex his exemplis: Herod. I. 85 *καὶ νῦν οἳ ἂν κομίζωνται ἀπὸ τῆςδε τῆς θαλάσσης ἐς Βαβυλῶνα, καταπλώοντες τὸν Εὐφρήτην ποταμὸν εἰς τὴν αὐτὴν ταύτην κώμην παραγίνονται.* Herod. V. 98 *ἐνθεῦτεν δὲ πεζῇ κομιζόμενοι ἀπίκοντο ἐς Παιονίην.* Herod. VIII. 68 *ἡμεῖς μὲν ὡς ἔχομεν, ἀναλαβόντες τοὺς οἰκέτας κομιεύμεθα εἰς Σῖριν, τὴν ἐν Ἰταλίῃ.* Thuc. I. 91 *ὁ Θεμιστοκλῆς τοῖς Ἀθηναίοις κρύφα πέμπει κελεύων ὡς ἥκιστα ἐπιφανῶς κατασχεῖν καὶ μὴ ἀφεῖναι, πρὶν ἂν αὐτοὶ πάλιν κομισθῶσιν.* Thuc. II. 33 *βιαιότερον ἀναγαγόμενοι ἐκομίσθησαν ἐπ᾽ οἴκου.* Thuc. II. 73 *Ὁ δὲ ἡμέρας τε ἐσπείσατο, ἐν αἷς εἰκὸς ἦν κομισθῆναι* (quibus diebus verisimile erat legatos redituros esse) *καὶ τὴν γῆν οὐκ ἔτεμνεν.* Xen. An. V. 4, 1 *Ἐκ Κερασοῦντος δὲ κατὰ θάλατταν μὲν ἐκομίζοντο οἵπερ καὶ πρότερον.* Xen. An. V. 6, 5 *πράγματα πολὺ πλείω ἕξομεν, ἐὰν κατὰ θάλατταν κομίζεσθε.*

Orat. XIV. §. 27.

Ὁ δὲ τελευτῶν δήσας (sc. *τὸν Ἀλκιβιάδην*) *ἀργύριον εἰςεπράττετο. Ὁ δὲ πατὴρ αὐτὸν οὕτως ἐμίσει σφόδρα, ὥστ᾽ οὐδ᾽ ἂν ἀποθανόντος ἔφασκε τὰ ὀστᾶ κομίσασθαι.*

Particula *ἂν* post negationem *οὐδ᾽* posita, quamquam in codicibus non invenitur, tamen ab omnibus fere Lysiae editoribus recentioribus Reiskio auctore addita est, sed quaeritur, num iure. Nam haec verba, quae Alcibiades pater respondit iis, qui filium pecunia redimendum obtulerunt, in oratione recta ita vertenda videntur: ‚minime ex hostis potestate pecunia redimam istum filium, cuius ne ossa quidem, cum in peregrina terra mortuus erit, domum referenda curabo.‘ Quam ob rem si apodosis illius enuntiati condicionalis *οὐδὲ κομιοῦμαι* in oratione indirecta infinitivo aoristi *κομίσασθαι* pro futuri *κομιεῖσθαι* redditur, particula *ἂν* infinitivo illi addenda non est,

quoniam in oratione recta addenda non erat. Infinitivo aoristi autem pro futuri usus est Lysias XII. 19 *ὅσα οὐδεπώποτε ᾤοντο κτήσασθαι.* XIII. 6 *νομίζοντες καὶ μάλιστα ἐν τῷ τότε χρόνῳ τὰ πράγματα, ὡς αὐτοὶ ἐβούλοντο καταστήσασθαι.* XIII. 15 *ὁρῶντες δὲ αὐτοὶ οἱ ἄνδρες ὀνόματι μὲν εἰρήνην γενομένην, τῷ δ' ἔργῳ δημοκρατίαν καταλυομένην, οὐκ ἔφασαν ἐπιτρέψαι ταῦτα γενέσθαι.* cf. Frohberg. ad hunc locum in appendice tom. I. p. 224. Multos autem eiusmodi locos, quibus infinitivus aoristi pro infinitivo futuri in codicibus invenitur, plerumque editores et interpretes ita emendare student, ut aut (XIII. 15) infinitivum futuri corrigant aut infinitivo aoristi, quo modus potentialis aut irrealis, qui dicitur, oriatur, particulam *ἂν* addant. Ita factum est, ut exempli gratia XIII. 53 *μέγα τι ᾤου παρ' αὐτῶν διαπράξασθαι* aoristi infinitivum et ipsum, quamvis eodem modo atque illis locis, quos attuli, ferri possit, complures viri docti (Sauppius, Cobetus, Herwedenius) in infinitivum futuri *διαπράξεσθαι* mutare vellent. At iure viri docti *ἀπολογήσασθαι*, quod in codicibus scriptum legitur, concinnitatis causa in *ἀπολογήσεσθαι* emendaverunt et XXII. 10 propter *κατηγορήσειν*, et XXVI. 3 propter *λέξειν*, quod subsequitur, neque minus merito XXVI. 13 *ἡγήσασθαι* in *ἡγήσεσθαι* correxerunt propter *διακείσεσθαι*, quod praecedit. Atque mihi quidem persuasum est inter infinitivum aoristi et futuri illis aliisque locis id discrimen statuendum esse, ut infinitivo aoristi magis actionis ipsius notio et temporis momentum, futuri autem infinitivo tempus ipsum cum vi quadam prematur. cf. Kruegeri gramm. graec. §. 53, 6, 9. Id quidem in illo usu aoristi tenendum est temporis neglegentiam quandam cognosci eodem modo, quo in patrio sermone nos quoque tempus neglegentes, prementes verbi actionem et notionem reddere possumus hanc sententiam ita oratione directa: Er sagte: ich lasse (pro werde lassen) seine Gebeine nicht einmal zurückholen, wenn er in fremdem Lande stirbt (pro gestorben sein wird), et oratione indirecta: Er sagte, er liesse (pro würde lassen) seine Gebeine nicht einmal zurückholen, wenn er in fremdem Lande stürbe (pro gestorben sein würde).

Orat. XIX. §. 18.

Ἀλλὰ μὴν ὅγε Ἀριστοφάνης ἤδη ἔχων τὴν γυναῖκα, ὅτι πολλοῖς δὴ μᾶλλον ἐχρῆτο ἢ τῷ ἐμῷ πατρί, ῥᾴδιον γνῶναι. ἥ τε γὰρ ἡλικία πολὺ διάφορος, ἥ τε φύσις ἔτι πλέον· ἐκείνῳ μὲν γὰρ [ἀρκοῦν] ἦν τὰ ἑαυτοῦ πράττειν, Ἀριστοφάνης δὲ οὐ μόνον τῶν ἰδίων, ἀλλὰ καὶ τῶν κοινῶν ἐβούλετο ἐπιμελεῖσθαι.

Vocabulum *ἀρκοῦν*, quod his in verbis uncis inclusum vides, in codicibus non scriptum legitur, sed additum est a P. R. Muellero cf. eius Beiträge zur Kritik des Lysias, Merseburg 1862 p. 8 et zu Lysias, Merseburg 1866 p. 8. Nam codicum lectionem *ἐκείνῳ μὲν γὰρ ἦν* nullo modo ferri posse satis constat. Atque viri docti cum fere omnes Taylori, qui *ἱκανὸν* inter verba *γὰρ* et *ἦν* inseruit, sententiam amplecterentur, aut vocabulum quoddam ante *ἦν* excidisse aut *ἦν* ipsum corruptum esse suspicati sunt. Ita factum est, ut Scheibius aut illam Taylori coniecturam *ἱκανὸν ἦν* probaret aut *ἡδομένῳ ἦν* proponeret, Kayserus *ἐπιμελὲς ἦν* propter *ἐπιμελεῖσθαι*, quod insequitur, minus apte coniceret, P. R. Muellerus l. l. *ἀρκοῦν ἦν* legendum esse censeret, id quod Frohbergerus et Rauchensteinius in textum recipere non dubitaverunt. Jacobsius vero (cf. additam.

animadv. in Athen. p. 270), Westermanno Cobetoque probantibus ἦν in ἤρκει, Dobraeus et Franckenius in ἤρεσκεν mutare voluerunt. Profecto si verborum mendum ita explicandum est, ut vocabulum aliquod excidisse putemus, ex omnibus illis coniecturis rectissime ad Muelleri ἀρκοῦν confugimus. At mihi quidem illud mendum neque in verbo quodam neglegenter omisso neque in vocabulo ἦν tamquam corrupto quaerendum videtur, sed pronomen ἐκείνῳ in suspicionem vocandum esse. Cuius pronominis dativum cum lenissima unius litterae mutatione in ἐκείνου correxeris, omnia bene procedunt neque quidquam erit, in quo haereas. „Illius enim erat sua ipsius curare" (er pflegte sich nur um seine eigenen Angelegenheiten zu bekümmern). cf. Kruegeri gramm. graec. §. 47, 6, 8. Lysias vero etsi et huic genetivo possessoris et pronomini posessivo, quod eius loco ponitur, vocabulum ἔργον addere solet (cf. II, 19. XII, 99. XIV, 4. XXIII, 3. XXIV, 14. XXV, 3. VII, 5. XXVI, 21. XXVIII, 2), tamen hunc quoque genetivum possessoris vocabulo ἔργον non addito usurpavit XIX. 5 *οὐ τοῦ αὐτοῦ ἐστιν ἀνδρὸς ἄνευ ἀνάγκης τε πολλὰ ἀναλίσκειν καὶ μετὰ κινδύνου τοῦ μεγίστου ἐπιθυμῆσαι, ἔχειν τι τῶν κοινῶν*, XIX, 59 *ταῦτ' ἐποίει ἡγούμενος εἶναι ἀνδρὸς ἀγαθοῦ ὠφελεῖν τοὺς φίλους*, XXVII, 10 *οὐ ταῦτα ἀγαθῶν δημαγωγῶν ἐστι τὰ ὑμέτερα ἐν ταῖς ὑμετέραις συμφοραῖς λαμβάνειν*, XXXI. 25 *τῶν αὐτῶν ἡγουμένους εἶναι τούς τε κακοὺς τιμᾶν καὶ τῶν ἀγαθῶν ἀμνημονεῖν*. cf. Frohbergeri adnot. et append. ad XIV, 4.

Orat. XXIII. §. 8, 9, 10.

Inter viros doctos magna est dissensio, utrum Nicomedes sit ille *εἷς τις* nec ne. Atque Scheibius quidem in praefat. edit. suae p. LV. illud his verbis confirmat:

„Qui enim §. 7 universe dicebatur *εἷς δέ τις*, is est idem Nicomedes, qui Pancleonem servum sibi fugitivum esse affirmabat. Quod ita esse cum ex aliis rebus tum ex eo apparet, quod praeter Nicomedem et feminam cum Nicomede rixantem (§. 11) nemo hunc sibi servum addictum esse aiebat. Neque tamen idcirco §. 8 *καὶ τὸν ὅς ἔφη δεσπότης τούτου εἶναι* cum Tayloro nomen *Νικομήδην* addere opus est."

Hanc vero Scheibii sententiam Westermannus, cui Rauchensteinius assentitur (cf. Rauchenst. in appendice edit. VI. p. 273), refutare studet his verbis (cf. Westermanni commentatt. in scriptores graec. partic. VI. p. 5 sq.): „At hoc sine exemplo est testis eiusque primarii nomen suo ac legitimo loco data opera supprimere atque eundem hominem mox in continuanda narratione, quasi nunc demum de eo constet, ipso suo nomine appellare. Accedit, quod, si Nicomedes testis ille est, dicendum erat *ὑπὸ τοῦ Νικομήδους*, quoniam recitato interea testimonio nomen quoque testis auditoribus notum erat factum. Quibus ex difficultatibus vix aliter te expedias, quam si mecum Nicomedem diversum ab illo teste fuisse credas hominem, qui Pancleonem non solum, ut ille, servum suum fuisse affirmaret, verum etiam ut et illa femina, de qua sermo est §. 10, repeteret atque in servitutem assereret. Qua in causa cum ipsius, qui repetit, testimonio locus esse non possit, quod conieci *ἐμαρτύρετο* (cf. Westermanni commentatt. in scriptores graec. partic. IV. p. 10), etiamnunc tuendum esse censeo."

Westermanno haec scribenti id tantum concedendum esse existimamus verbis *ὑπὸ Νικο-*

μήδους articulum τοῦ adici oportere. Eum vero sine dubitatione addere licet, cum in codicibus manu scriptis articulum a librariis per errorem et inscitiam et neglegentiam sexcenties et omissum et adiectum esse constet. Ceterum recte iudicare nobis quidem videtur Scheibius, cum illum εἷς τις (§. 7) et Nicomedem non diversos homines, sed eandem personam esse dicat. Quod ut probemus, sane id, quod Westermannus l. l. p. 5 opposuit, explicandum est, „qui fieri potuerit, ut orator, quem modo obscure satis verbis εἷς τις (§. 7) et τὸν ὃς ἔφη δεσπότης τούτου εἶναι (§. 8) significavit, iam subito §. 9 ipso suo appellet nomine."

At id ipsum, qua est simplicitate atque veritate Lysiae oratio, sine difficultate explicari posse putamus; is enim veri amans orator res ita narrare solet, quomodo factae sunt. Itaque ille postquam se omnes sibi notos Plataeenses (ὅσους ᾔδειν Πλαταιᾶς ὄντας §. 6) de Pancleone interrogavisse dixit, narrare pergit se his auctoribus ultimo mensis die in eum fori locum ivisse, quo, cum illo die recens caseus veniret, Plataeenses convenire solerent. Ibi autem orator eos, qui aderant, Plataeenses deinceps interrogavit, num Pancleonem quemdam nossent, qui se civem Plataeensem esse diceret. Quod cum ceteri negarent, unus ex iis respondit Pancleonem civem quidem Plataeensem non esse, sed servo suo fugitivo, qui eadem esset aetate eandemque atque ille, de quo quaereretur, artem exerceret, illud nomen fuisse. Quam rem quo veri similior sit majoremque habeat fidem, orator ita narrat, ut accidit. Ei enim homo ille Plataeensis, qui hoc respondebat eumque intellegimus Nicomedem, eo tempore, quo illud dicebat, nondum notus erat; quare Nicomedes recte et apte §. 7 εἷς τις et §. 8 τὸν ὅς ἔφη δεσπότης τούτου εἶναι, non suo ipso nomine appellatur. Neque vero id, quod silentio praeteritur, negari potest oratorem ex Nicomede illo sibi nondum noto, cum eum apud iudices prodire testem vellet, nomen ipsum quaesisse. At quoniam Nicomedes suo nomine a ministro publico apud iudices testis citatus itaque nomen eius pronuntiatum omnibus, qui aderant, notum factum est: quid mirandum est eundem, qui modo εἷς τις et §. 6 τὸν ὃς ἔφη δεσπότης τούτου εἶναι §. 8 significatus est, §. 9 demum suo ipso nomine Nicomedem appellari? Qua in re ne id quidem neglegendum est nomina aliorum quoque Plataeensium §. 8 non minus universe significata esse quam Nicomedis ex ea, quam diximus, causa. Et saepius testes nominibus non appositis citari Westermannus ipse l. l. concedit nec minus Rauchensteinius adnotatione ad Lysiae orat. XIII. §. 65 („Die Brüder des Agoratos konnten allerdings von den Zeugen genannt sein") docet interdum etiam ex iis, quae testes testati sunt neque ab oratore commemorantur, oratoris verba explicanda esse.

Nicomedem autem esse illum τὸν ὃς ἔφη δεσπότης τούτου εἶναι quam maxime colligi potest ex verbis ὑπὸ (τοῦ) Νικομήδους ὃς ἐμαρτύρησεν (qui modo testis prodiit). Is vero cum oratori, non sibi, Pancleonem suum servum esse (§. 9) testaretur, non in sua, sed in aliena causa tum exstitit testis. Quae cum ita sint, codicum lectionem ἐμαρτύρησε servandam ac non cum Westermanno in ἐμαρτύρετο mutandam esse censemus.

Neque minus nostra interpretatione difficultas ille removetur explicandi, quomodo factum sit, ut ille εἷς τις ὅς τὸν ἔφη δεσπότης τούτου εἶναι §. 8 non et ipse in iudicio illo facto (§. 10) adesset et Pancleonem ut suum servum vindicaret. Quod eum facturum fuisse eo veri similius

est, quod oratoris illum, ut et ipse in iudicium illud veniret atque Pancleonem servum repeteret, de illa lite (§. 10) certiorem facere sine dubio multum intererat. Exstiterunt autem in illa lite primum Nicomedes et Pancleonis socii, deinde anus quaedam, quae eundem Pancleonem ut suum servum asserebat.

Huic actioni orator quoque intererat, ut cognosceret et qui Pancleonem liberum esse affirmaret (*τόν τ' ἐξαιρησόμενον* §. 10) et quibus causis dictis alter eundem servum assereret (*καὶ ὅτι λέγων ἀφαιρήσοιτο* §. 10). Ea verba cum ita interpretanda esse censeamus, Bauerus (cf. die erhaltenen Reden des Lysias übersetzt von Bauer, Stuttgart 1856) in sermonem patrium non recte sic videtur vertisse: „um den, der seine Freiheit in Anspruch nehmen würde, und die Gründe, auf die er sich stützte, kennen zu lernen.“ Nam verbis *τ' ἐξαιρησόμενον αὐτὸν καὶ ὅτι λέγων ἀφαιρήσοιτο* non unam, sed duas significari personas emergit et ex collocatione particulae *τε* —, quae si eadem persona significaretur, post vocabulum *αὐτὸν* collocanda erat — et ex discrimine illo, quod Lysias inter notionem verborum *ἐξαιρεῖσθαι* et *ἀφαιρεῖσθαι* statuit, quorum illud notionem vindicationis in libertatem, hoc vindicationis in servitutem habet. cf. Rauchensteinii adnotat. ad §§. 9 et 11. Quae cum ita sint, in verbis *ὅτι λέγων ἀφαιρήσοιτο* subiectum, quod dicitur, *ὁ ἕτερος* vel *ὁ Νικομήδης* post participium *λέγων* excidisse suspicor.

Orat. XXIV. §. 9.

Δοκεῖ δέ μοι τῆς πενίας τῆς ἐμῆς τὸ μέγεθος ὁ κατήγορος ἂν ἐπιδεῖξαι σαφέστατα μόνος ἀνθρώπων· εἰ γὰρ ἐγὼ κατασταθεὶς χορηγὸς τραγῳδοῖς προκαλεσαίμην αὐτὸν εἰς ἀντίδοσιν, δεκάκις ἂν ἕλοιτο χορηγῆσαι μᾶλλον ἢ ἀντιδοῦναι ἅπαξ. καὶ πῶς οὐ δεινόν ἐστι νῦν μὲν κατηγορεῖν ὡς διὰ πολλὴν εὐπορίαν ἐξ ἴσου δύναμαι συνεῖναι τοῖς πλουσιωτάτοις, εἰ δὲ ὧν ἐγὼ λέγω τύχοι, τι γενόμενον, [ὁμολογεῖν ἂν] τοιοῦτον εἶναι [ἐμὲ] καὶ ἔτι πονηρότερον;

Rauchensteinius et Frohbergerus in editionibus, cum verba *ὁμολογεῖν ἂν* Kaysero auctore et *με* vel *ἐμὲ* per se addiderint, sententiam apte restituerunt. Nam in posteriore membro opposito (*εἰ δὲ ὧν ἐγὼ λέγω, τύχοι τι γενόμενον κτλ.*) verbum quoddam dicendi vel iudicandi desideratur, quod verbo *κατηγορεῖν* respondeat, praesertim cum Lysias inprimis in iis enuntiatis oppositis, quae *πῶς οὐ δεινόν ἐστι* vel *ὃ δεινότατον* vel similes dicendi formulas subsequuntur, cum studio quodam concinnitatem membrorum servaverit. Hac de causa et quod interrogatio *„καὶ τί ἔτι πονηρότερον;“* in fine enuntiati posita, quam Sauppius (cf. eius epistula critica ad Godofredum Hermannum p. 16) et Westermannus aliique proposuerunt, post verba *πῶς οὐ δεινόν ἐστι* supervacanea et inutilis esset, illi viri docti Kayseri coniectura usi verba *ὁμολογεῖν ἂν* et *ἐμὲ* textui, qui dicitur, inseruerunt. Cogitanti vero mihi de hac Kayseri coniectura verba tradita videbantur simplicius ita mutanda esse: *καὶ πῶς οὐ δεινόν ἐστι νῦν μὲν κατηγορεῖν ὡς διὰ πολλὴν εὐπορίαν ἐξ ἴσου δύναμαι συνεῖναι τοῖς πλουσιωτάτοις, εἰ δὲ ὧν ἐγὼ λέγω, τύχοι τι γενόμενον, τοιοῦτον ἂν ἐμὲ κρῖναι καὶ ἔτι πονηρότερον;*

Orat. XXIV. §. 14.

Ἀλλὰ γὰρ οὔτε ὑμεῖς τούτῳ τὴν αὐτὴν ἔχετε γνώμην, οὐθ' οὗτος [ὑμῖν] εὖ ποιων ὁ μὲν γὰρ ὥςπερ ἐπικλήρου τῆς συμφορᾶς οὔσης ἀμφισβητήσων ἥκει καὶ πειρᾶται πείθειν ὑμᾶς ὡς οὐκ εἰμὶ τοιοῦτος, οἷον ὑμεῖς ὁρᾶτε πάντες.

Verba *εὖ ποιῶν* a viris doctis toties vexata sunt multis variisque et interpretationibus et coniecturis, ut de hoc difficili loco aliquid novi dicere dificillimum sit. Id quidem satis constat, nec Muelleri interpretationem: „neque isti haec sententia erit, si recte agat" — expectas autem: „cogitet" (*εὐφρονῶν* Rauchenst., *εὐνοῶν* Sauppius) — nec Franckenii: „nec sibi ipse consentit et recte hercle" ferri posse. Frohbergerus vero, qui Reiskium secutus *οὐθ' οὗτος ὑμῖν* mihi quoque videtur recte scribere („die drastische Tautologie der beiden disjunctiven Satzglieder passt in die komische Färbung der Stelle"), ut verba *εὖ ποιῶν* „dis gratia, cum bona fortuna" („Gott sei Dank, glücklicher Weise") apte et recte interpretetur, vehementer vereor. Neque enim haec Frohbergeri interpretatio admitti potest nisi hoc „Gott sei Dank vel glücklicher Weise" ad *ὑμεῖς* refertur. Quod ut fieri posset, scribendum erat *εὖ ποιοῦντες*, quae verba aut post *ὑμεῖς* aut post *γνώμην* collocari debebant. Quae cum ita sint, viri docti sibi faciendum esse existimaverunt, ut loco corrupto coniecturis medicinam adhiberent. Omnium autem, quae propositae sunt, emendationum ad sententiam maxime accommodata videtur Rauchensteinii *εὖ φρονῶν* vel Sauppii *εὖ νοῶν* („si sapiat"); Kayseri autem coniectura *οὐθ' οὗτος ἑαυτῷ* (cf. Philoll. XI. p. 161), cum ad intellegendum obscurior sit, nulli viro docto adhuc probata est.

Ac ne multi simus in virorum doctorum emendationibus existimandis, quas affert Frohbergerus in edit. tom. III. p. 214, nobis quidem videtur lectio codicum *εὖ ποιῶν* servanda et haec verba simplicissima notione bene faciendi intellegenda esse, ut orator his verbis accusatorem cum ludibrio et irrisione beneficii auctorem nominet. Neque fieri poterat, ut haec verba aliter intellegerentur, si obiectum *ἐμέ*, quod aut ante aut post verba *εὖ ποιῶν* addere velim, additum esset. Quo facto adversarius homo beneficus ideo significatur, quod (*γὰρ*) invalidum illum, cum invalidum esse neget, imbellicitate corporis quasi liberare, immo ei imbellicitatem ut aemulus ditissimam virginem nuptiis maturam (*ἐπίκληρος*) eripere studet. Nostra autem interpretatio et in eam rationem, qua Lysias hac in oratione invalidum illum hominem non solum audacter atque insolenter, verum etiam cum ioco et irrisione dicentem facit, et in sententiam loci haud male videtur quadrare. Invalidus enim ille hoc sibi vult: At enim nec vos huic consentitis nec vobis hic, qui me afficit beneficio. Hic enim (*γὰρ*) de corporis imbecillitate, quasi *ἐπίκληρος* esset, mecum litigatum venit, vos autem ei non creditis, cum, qualem me videtis, talem me esse existimetis.

Praeter alia levioris momenti errata corrigenda sunt haec: p. 7 lin. 3 probabo, p. 8 lin. 31 *ἀρνεῖσθαι*, p. 11 lin. 18 reiciendi, p. 13 lin. 2 *ἀπορωτάτην*, p. 17 lin. 32 *πατέρα*, p. 22 lin. 30 adhibendam, p. 26 lin. 3 periclitanti, p. 29 lin. 14 qui, p. 32 lin. 23 et 37 *εἷς τις* §. 7 et *τὸν ὅς*.

Typis L. Döllii Cassellani.